HELENAE ET HERUS EPISTULAE OVIDII NON SUNT.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

JOSEPHUS LEYHAUSEN

RHENANUS.

HALIS SAXONUM,

FORMIS KAEMMERERANIS

MDCCCLXXXXIII.

PARENTIBUS CARISSIMIS.

P. Ovidius Naso octo ex epistulis quae hodie leguntur, se conscripsisse in amorum libro secundo carm. 18 ipse his verbis testatur: v. 21:

‚Aut quod Penelopes verbis reddatur Ulixi,
Scribimus et lacrimas, Phylli relicta, tuas;
Quod Paris et Macareus et quod male gratus Jaso
Hippolytique parens Hippolytusque legant,
Quodque tenens strictum Dido miserabilisensem,
Dicat, et Aeoliae Lesbis amica lyrae.‘

Quare epistulas quae inscribuntur: Penelope Ulixi, Phyllis Demophoonti, Oenone Paridi, Canace Macareo, Hypsipyle Jasoni, Ariadne Theseo, Phaedra Hippolyto, Dido Aeneae, Sappho Phaoni ab Ovidio scriptas esse pro certo habendum est. Sed iam Sapphus epistulam periisse et eam quae nobis tradita sit, imitatoris cuiusdam esse inter omnes fere viros doctos constat. Omissa igitur hac epistula restant, quae in Merkelii editione locum primum, secundum, quartum, quintum, sextum, septimum, decimum, undecimum tenent, quas epistulas vere Ovidii esse nullo tempore quisquam persuasum non habuit, praeter unum Lehrsium [1]), qui prorsus omnes epistulas Ovidio abiudicandas esse cemsuit. Difficilior iam res est de ceteris, sed tamen ex illis ep. III, VIII, IX, XII, XIII, XIV iudicio satis certo hoc tempore Ovidio adscribuntur. Nam contra Lachmanni [2])

1) Lehrsius: „Die sogenannten Ovsidischen Heroiden" in editione: Qu. Horatius Flaccus, Lips. 1869 p. 225.

2) De Ovidii epistulis in indice lectionum Berol. aestiv. a. 1848 vel in vol. II scriptorum minorum, ed. Vahlen, Berol. 1876.

suspicionem, qui de epistulis quidem III, XII, XIII his verbis sententiam suam dicit: ‚de ceteris III, XII, XIII, XVI, XVIII et duodecim versibus qui restant ex ultima quamvis maxima sit dubitandi causa, certiora tamen argumenta quaerenda sunt, si scire cupimus nec opinari‘, Merkelius, L. Muellerus, Eschenburgius[1]) omnes priores epistulas usque ad ep. XIV ad Ovidium auctorem referunt; sed aliquam dubitationem sola habet ep. XIV, quam L. Muellerus[2]) gravissimis verbis sano homine indignam esse dicit.

Haec pauca de priorum epistularum parte dixisse nunc sufficit, de nonnullis quid sentiam postea dicam. Iam ad partem alteram, quae sex epistulas continet accedeo, de qua accuratius dicere mihi est in animo. Sunt autem epistulae XV—XX Merkelii editionis. Loersius[3]) posteriores epistulas sex a multis viris doctis spurias haberi easque Sabino, Nasonis amico et aequali, tribui declarat. Ac notum est Scaligeri[4]) de hac re iudicium, quod G. Ephr. Muellerus[5]) et alii multi defenderunt. Argumenta ab iis prolata alii in tribus tantum epistulis probaverunt, ep. XVI, XVIII, XX Sabini esse affirmantes, ut Moserus[6]); alii, in quibus Henricus Stephanus et P. Burmannus[7]), duas tantum postremas ab Ovidio alienas esse iudicant. In novum autem disputationis campum haec quaestio a V. Loersio[8])

---

1) Merk. in praef. ad P. Ov. Naso, Lips. 1852. tom. I. p. X — L. Muell. de re metrica poët. latin. Lips. 1861 p. 46 — Eschenb.: Metrische Untersuchungen über die Echtheit der Heroiden Ovids in progr. Catharinei Lubeck. 1874.

2) L. Muell. l. c.

3) Loers: P. Ovidii Heroides et A. Sabini epistulae Coloniae 1829, I. prooem. p. 39.

4) Scaliger in ed. P. Ov. Nasonis, I. Oxonii 1825 p. 1.

5) G. Ephr. Muell.: Historisch-kritische Einleitung zur nötigen Kenntnis der alten lat. Schriftsteller, IV. p. 55 seq.

6) Moser in annal. Heidelberg, II. fasc. 2.

7) P. Burmann in ed. Ovidii Amstelod. 1727 praef.

8) Loers l. c. p. 68.

delata est, qui epistulas ad unam omnes Ovidii ingenio dignissimas esse putat et imprimis ex similitudine sermonis et artis Ovidianae ab hoc eas scriptas esse contendit. Argumentatio hercle prava et inanis! Tum Lachmannus [1]) exstitit, qui rationibus maxime metricis et prosodiacis usus rem ita egit, ut e posterioribus epistulis ep. XV, XVI, XVIII plane refutaret, de reliquis dubitationes moveret. Illius sententiae inter alios accessit Merkelius [2]) qui ep. XV, XVII, XIX reiecit et quae Lachmannus de ep. XVI et XVIII monuerat, partim probavit partim impugnavit, sed ep. XVI, XVIII, XIII ab eodem poëta conscriptas videri disserit. Primus autem contra Lachmanni opinionem L. Muellerus [3]) tres tantum epistulas, XV, XVI, XIX et elisionis ratione et positis in fine hexametri polysyllabis a poëtae usu et consuetudine plane abhorrere et suppositicias esse probavit. Nova ratione inita Eschenburgius [4]) epistulas indubitatas cum iis, de quibus dubitationes movebantur, comparat et rebus metricis et prosodiacis subtiliter investigatis ad hunc venit exitum, ut epistulas imprimis posteriores sex difficultates praebere diceret, quae nullo modo excusari vel removeri possent. Alii quid senserint omitto; considerandum autem est, omnes illos viros doctos, qui Ovidium nonnullorum vel omnium posteriorum epistularum auctorem esse negaverunt, iam pro explorato habuisse, omnes epistulas eodem tempore ab Ovidio scriptas atque editas esse. Hanc igitur opinionem Al. Riesius [5]) vehementer impugnavit, quod nullo testimonio firmaretur, Ovidium omnes epistulas uno tenore conscripsisse, immo ad hanc sententiam inclinavit, ut Nasonem posteriora illa carmina aliquanto post primam editionem, cum iam in exsilio esset,

---

1) Lachm.: l. c p. 1.
2) Merk.: in ed praef. p. X.
3) L. Mueller: l. c. p. 48 et in museo rhen. XVIII pag. 87—89. —
4) Eschenb.: l. c. p. 1.
5) Al. Riese: in ed. 1. praef. p. 10 et in Bursiani annal. 1874/75 p. 234, et in annal. phil. et paed. 1874. p. 569.

perfecisse putaret. Coniectura haec Riesii est, quae certis testimoniis defendi non potest, sed admodum commoda videbatur, ita ut multi summa industria efficere studerent, ut Ovidium re vera omnium epistularum auctorem esse comprobarent. Quo ex studio nonnullae ortae sunt commentationes, quibus viri docti difficultates gravissimas similibus exemplis e carminibus ab Ovidio exsule scriptis diligentissime collatis tollerent et alias quoque res consentientes inter epistulas et carmina in Ponto scripta, quae ad artem metricam et prosodiacam, ad dicendi genus et sententiarum iocutionumque rationem et colorem spectant adferrent. Qua in re praeter Eschenburgium[1]) maxime laudandi sunt Antonius et Wolframus Zingerle[2]).

Haec hactenus! Propius iam accedamus ad propositum, quo in persequendo iam nobis offeretur occasio omnes illas sententias vel probandi vel damnandi; ante omnia igitur nunc nobis agendum est de epistulis XVI et XVIII, ut quaeramus, quo iure illae in Ovidii carminibus locum obtineant. De primis autem argumentis, quae ante Lachmannum ab editoribus allata sunt, quod hoc loco diserte non dicam, venia mihi, ut spero, non deerit. Lachmannus[3]) igitur ratione quae usque ad id tempus adhibita erat neglecta e testimoniis ab arte grammatica et metrica petitis de epistulis Ovidio falso adscriptis iudicat et gravissima in medium profert argumenta, quibus epistulas XVI et XVIII ab Ovidio scriptas non esse demonstrare studebat. Atque primum eum offendit in ep. XVI. v. 55. Ledă et in eadem ep. v. 150 Aethră ultima syllaba correpta. Jam

---

1) Eschenb. Wie hat Ovid einzelne Wörter und Wortklassen im Verse verwandt? in progr. Lub. Catharinei 1886.

2) W. Zing. Untersuchungen zur Echtheitsfrage der Heroiden Ovids; Oeniponti 1878. — A. Zing: Ovidius u. s. Verhältnis zu den Vorgängern u. gleichzeitigen röm. Dichtern, ibid. 1869—71. et in ‚kleinere philol. Abhandl.‘ ibid. 1871—87, 4 fasc.

3) Lachm.: scripta min. pag. 56.

antea in commentario ad Lucretium [1]) ad vocem ,ambrosia' adnotaverat, Ovidium numquam scribere potuisse ,Ledă' et ,Aethră', cum talia verba e graecis translata constanter litteram ,a' productam haberent. Perraro enim et certis tantum condicionibus poëtas Latinos ab ea lege abhorruisse; Plautus [2]) enim Bromia, Palaestra, Aetna, alia corripit, alii ultimam litteram brevem ponunt in verbis, in quibus diphthongus litteram a praecedit, ut Troia Ovidii [3]); tum in verbis graecis, quae cotidiano usu trita sunt, ultima syllaba etiam ab optimis poëtis corripitur, ut purpura, comoedia Plauti [4]), pharetra Ovidii [5]), pera Martialis [6]), denique gentilia, ut Syra in Plauti Mercat. IV, 5, 6 et nomina propria, quae ex adiectivis gentilibus renata videntur, ut Ilia Ennii [7]), Pythia Lucretii [8]), Lesbia Catulli [9]), postremo adiectiva Rhamnusia, Lernaea, Cyllenia [10]) Quibus exceptis semper ,a' producitur, praeter quod a in Philomela apud Vergilium [11]) et Ovidium corripitur. Qua de causa vocabula Leda et Aethra locis citatis, quibuscum Ledă in ep. XIII, 78 et am. II, 4, 42 et Phaedră a. a. I. 744 eadem ratione adhibita comparanda essent, Ovidium numquam ultima correpta usurpasse, Lachmannus contendit. Sed suo jure Luc. Muellerus [12]) hoc argumentum repudiavit recte admonens Lachmanno ipso assentiente poëtas Latinos ,Pasithea' et ,Philomela' corripuisse, locos autem, qui illius observationi aperte obstarent, non modo mutare nil attinere, sed ne

1) comment. ad Lucretium, Berol. 1850 p. 405.
2) Plaut. amph. V. I. 25. rud. II. 3. 35., Mil. gl. IV. 2. 73.
3) Ovid: am III. 6. 27; m. XIII. 246; tr. V. 10. 4.
4) Plaut.: cf. Lachm. l. c.
5) Ov. am. II. 9. 38.
6) Mart XIV. 81. 3.
7) Ennius: ann. 56. 59.
8) Lucr. I. 7. 40.
9) Cat. V. I; 7, 2; 43, 7; al.
10) Cat. 64, 395; 66, 71; 68, 77.
11) Ov. met. VI. 451, 475, 511; Verg. ecl. VI. 78.
12) mus. rhen. XVIII. 88; de re met. p. 389.

salvo quidem sensu ullo modo corrigi posse. Lachmannus[1]) enim pro Leda in am. II, 4, 42 Lyda, pro Phaedra in a. a. I, 774 Cressa substituerat. Quam rem ut clarius perspicerem, alia eius modi vocabula investigare studui et alia exempla mihi videor invenisse, quibus satis appareret, hunc usum nominum graecorum e Latinorum more tractatorum haud quaquam alienum esse ab Ovidio. Exempla autem haec sunt: a. a. III, 35 Ariadnă legitur ultima correpta, similiter met X, 598 Atalantă, cum am. III, 2, 29 genetivus ‚Atalantes‘ graecanice positus sit; aeque ‚Neaera‘ am. III, 6, 28 corripitur[2]), denique Baccha latine desinens in a brevem ep. X, 48; a. a. I, 312; III, 710 traditum est, graeca terminatione Bacchē am. I, 14, 21. Atque vehementer probo quod L. Muellerus[3]) monuit, Ovidium et veteres poëtas haud saepe aut libenter in vocabulis graecis a productam admisisse, sed graecam terminationem in e longam scribere maluisse, ut ipse Ovidius pro Leda bis adhibet Lede[4]) et alia multa[5]): Leuctheē, Helene, Halcyone, Cyllene[6])Cyanee[7]); vel ‚nymphē‘ in met. libris in ē tantum finiens usurpatum est. Etenim ablativi persaepe graeca littera e, non latina a, formati sunt, ut Cyllene met. I, 217, Hesione XI, 275. Quae cum ita sint, persuasum habeo, Ovidium vocabula Ledae et Aethrae corripere potuisse.

Neque alterum argumentum a Lachmanno prolatum, ut epistulam XVIII spuriam esse comprobaret, maiorem vim et probabilitatem habet. Nam in ep. XVIII. 170 ‚nihil‘ pyrrhichiace usurpatum esse ab Ovidio negat[8]), quippe qui his ipsis vicies[4]); accedunt nonnulla hyperdissyllaba quae

1) scr. min; progr. 1847 p. 5. —
2) cf. Tibull: III. 1, 6; 2, 12; 4, 60. —
3) de re met. 389. —
4) am. I. 10. 3; a. a. III. 251.
5) Leucotheē: met. IV. 542; Helene: a. a. II. 359; III. 253; cf. a. a. III. 11; Halcyone: met. XI. 384, 423 etc.
6) met. V. 607; VII. 366; fast. II. 276; V. 87.
7) met. IX. 451.
8) progr. 1847. p. 5.

dixerit aut ‚nil' monosyllabum aut ultima producta, ut tr. V. 14, 41 et ep. ex P. III. 1. 113 et met. VII. 644. Sed aliis quoque locis poëtam ‚nihil' bibreve adhibuisse, Merkelius demonstrat[1]), qui tr. V. 8. 2 ‚nihil' similiter corripiatur necesse esse iudicat, et L. Muellerus[2]) aequo jure ad hanc legem tr. IV. 8. 32 revocat. Itaque dubium non est, quin Ovidius omnes quas ponere licet formas particulae ‚nihil' admiserit. At verum quidem est, in heroidibus et in ceteris carminibus amatoriis, de qua re infra mihi disserendum erit, particulam ‚nihil' ne dissyllabam quidem exstare, ne dicam bibrevem.

Haec sunt, quae de Lachmanni argumentis, quae vim probandi non habent, dicenda erant! cetera, quae vir doctissimus contra has epistulas in lucem profert, suo iure locum tenent. Atque primum in Ovidii distichis nunquam peccatum est contra illam omnium fere poëtarum Latinorum legem, ne iambica verba in vocalem exeuntia elisionem in syllabam acutam unquam facerent. Qua de causa rectissime improbat Lachmannus[3]) in ep. XVI. 97: ‚disce meo͡ exemplo formonsis posse carere'. Complures quidem poëtae hanc legem sic coërcent, ut verba iambica cum aliis verbis non coniungant, nisi cum monosyllabis et hyperdissyllabis post primam syllabam acutis; quod vel optimi poëtae, Catullus, Vergilius, Horatius, Lucanus admiserunt. Sed tamen hic elisionis usus non eodem modo apud omnes poëtas observatur neque in omnibus permittitur monosyllabis; Vergilius enim saepissime ‚et', rarius alias particulas, Ovidius ipse inter monosyllaba unum ‚et' cum ultima verbi iambici syllaba coniungit; addo, quod haec elisio in metamorphoseon tantum libris adhibita est et in

1) praef. X.

2) de re met. 47.

3) com. ad Lucr. p. 196.

4) met. II. 314, 315, 483, 774; IV. 86; V. 670; VI. 359, 660; VIII, 727, 819; IX. 20, 299; X 429; XI. 381, 693; XII. 133; XIII. 74, 79. 122, 767.

syllabam secundam sono habent distinctam. Iam duo alia eius modi exempla, quae non in met. libris reperiuntur, commemoranda sunt, in am. II. 19. 20: ‚saepe time͡ iusidias' et in tr. II. 29, 5: ‚iuncta viro ante͡ fores'.

Ac priore loco Lachmannus[1]) verbis ‚time insidias' sententiam perverti statuit, in posteriore iam M. Hauptius[2]) pro ‚viro' quod sensum prorsus contrarium efficit, recte ‚vir' coniecit, nam neque, inquit, in templum intrat, qui ea quae ante fores sunt, videre vult, neque Mars Veneris vir est, sed Vulcanus; Eschenburgius[3]) priore loco aut ‚time' mutari vult in ‚treme' aut cum L. Muellero[4]) versus 19–22 eici. Quibus perpensis locum, de quo agimus, simile aliquid solum habere in met. libris apparet. Sed plura de hac re infra!

Transeamus ad Lachmanni suspicionem alteram. Offendunt enim eum pentametri versus in vocabulum hyperdissyllabum desinentes, quales exstant in ep. XVI. 16 et XVIII. 202, ubi polysyllaba ‚superciliis' et ‚deseruit' versum concludunt. Neque alibi unquam in distichis, quae Ovidius iuvenis conscripsit, pentametri vocabulo hyperdissyllabo terminati reperiuntur, praeterquam quod in ep. XV. 288 vox ‚pudicitiae' in versus exitu posita est, de qua re infra accuratius disputabimus; quin autem in ep. XIV. 62, in quo versu ‚generis' finem facit, suppositicius sit, hoc tempore nemo est, qui dubitet.

Restat, ut pauca dicam de ablativo ‚Ulixe' in ep. XVI. 148, de quo Lachmannus dubitationem movet[5]), in commentario ad Lucretium p. 49 de ‚tripode' disputans. Hanc enim legem statuit, ut vocabula graeca, quae dativum in ει admittunt, in ablativo vocalem ē vel ī ostenderent, apud Ovidium enim ipsum met. X. 608 Hippomenē et ex P. III. 3. 43 Achillī — Merkelius correxit Achillē — legimus.

1) progr. 1848 p. 6; com. ad Lucr. p. 199.
2) observationes criticae, Berol. 1861.
3) Metr. Unters. p. 2.
4) Philologus XI. p. 87.
5) com. ad. Lucr. p. 49.

Neque Juvenalis hanc legem neglexit, Horatius autem uno loco sat. II. 3. 193 ‚ab Achillĕ secundus', Propertius V. 11, 40: Achillĕ, Statius theb. XII. 348: ‚Polynice' ultima syllaba correpta adhibent. Similiter igitur Ovidius in ep. XVI. 148 Ulixĕ posuit, quam licentiam alibi nunquam secutus est. Nam quod in ‚Ganymede' litteram e corripuerit, haud esse alienam a lege Lachmannus docet [1]), qui ablativos Ganymede, Lycomede, Diomede ultima brevi posita semper usurpatos esse a poëtis adnotat. Inveni autem Diomedĕ met. XIII. 100, 242; XIV. 492, Ganymedĕ eadem quantitate apud Horatium c. IV, 4. 4.

Postremo obiter attingamus, Ovidium Lachmanno admonente interrogationis particulam ‚qui', ut esset ‚quomodo' nunquam in carminibus usurpasse; qua de re infra amplius dicam.

Hae sunt dubitationes, quas Lachmannus affert de epistulis XVI et XVIII; atque nemo argumenta posteriora iure prolata esse negabit. Itaque cum in hanc disputationis partem pervenerimus, ab ipsis Lachmanni suspicionibus procedamus ad alia testimonia quaerenda, quibus epistulas nostras Ovidio abiudicandas esse, certius comprobetur.

Illam igitur ipsam Lachmanni argumentationem non ab omnibus probari monitum velim. Nam Riesius [2]) epistulas posteriores inde ab ep. XV ab Ovidio, cum iam ad Pontum relegatus esset, conscriptas atque editas esse docuit, et hanc sententiam postea [3]) cum de Eschenburgii commentatione [4]) iudicium ferret copiosius defendit. Atque re vera omnes illas difficultates, in quibus haerebat Lachmannus, expedire potuit, quia carmina Tomis scripta vel retractata optime congruere cum epistulis vidit. Huic sententiae inter alios imprimis Eschenburgius [5]) accessit;

1) com. ad Lucr. p. 49.
2) loc. all.
3) Burs. ann. 1874—75. p. 234.
4) Metr. Untersuch.
5) progr. Lub. 1886 p. 39.

W. Zingerlius quoque in libello suo[1]) ad hanc sententiam inclinavit, alii ut Heuwesius[2]) dissertationibus hanc opinionem tueri studuerunt. Sed iam videamus quatenus proprietates carminum posteriorum cum iis quas in nostris epistulis invenimus, faciant. Atque primum versus pentametri in vocabulum plus quam duas syllabas continens exeuntes in carminibus, ut supra demonstravi, amatoriis non inveniuntur, at aliquoties in epistulis in Ponto scriptis. Riesius[3]) in ep. Ponticis pentametrum sexies cadere in vocem trisyllabam, tricies ter in tetrasyllabam, novies in quinquesyllabam, semel in sexsyllabam recte observavit. Atque iis qui Riesii sententiam defenderunt consideratione dignissimum videbatur, quod in solis epistulis ex Ponto vocabula trisyllaba versum finiunt; nam in ep. quoque XVIII. in versus exitu 202: ‚deseruit' legitur; vocabulo quinque syllabarum versus terminatur XVI. 16.: superciliis; conferas quoque in ep. XV. 288: pudicitiae.

Sed paucis rem absolvere iuvat. Elisionem vocis iambicae in vocabulo sequenti et acuto, ut est ep. XVI. 97: ‚disce meo exemplo' Ovidius in met. libris, ut supra dixi, admittit. Commemoravi etiam ‚nihil' pyrrhichiace in tristium libris aeque positum esse atque in ep. XVIII. 170. Item Riesius, quod primus Eschenburgius[4]) observavit, in ep. XVIII. 29: ‚atque rogem de te et scribam tibi siquis Abydo' monosyllabum ‚te' in arsi tertii pedis hexametri elidi eidem licentiae tribuit atque ex P. IV. 3. 33, fast. III. 585 et duodecim exempla quae exstant in met. libris[5]).

---

1) Untersuchungen zur Echtheitsfrage der Heroiden Ovids, Oeniponti 1878.

2) de tempore quo Ovidii amores, heroides, ars amatoria conscripta atque edita sint. Monast. diss. 1883.

3) Burs. ann. p. 234.

4) metr. Unters. p. 14.

5) Eschenb. p 4 tredecim citat exempla: I. 166; II. 314; V, 670; VII. 639; IX. 20; XII. 133; XIII. 41, 74, 122, 277, 728; XIV. 462 Riesius in Burs. ann. 234 duodecim adducit exempla: met. XII. 133 scribit: viri capulo et; Esch. viri et capulo.

Gravissima haec sunt argumenta quae Riesius et qui sentiunt cum eo protulerunt, ut epistulas posteriores Tomis conscriptas et iis quas poëta iuvenis edidisset, adiunctas esse demonstrarent.

Sed quoniam iam accuratius exponam cur haec sententia defendi nequeat, primum Zingerlius[1]) Byblidis epistula met. libro IX. 529—569 inserta conici posse affirmat, poëtam tum quoque, cum met. libros composuisset, epistulis scribendis operam navavisse. Quae res, ut equidem puto, per se non multum valet, cum haec epistula et exiguo versuum numero et metro ab eo, quo epistulae scriptae sunt, diverso ab epistularum genere multum distet; praeterea ex adversariorum ipsorum iudicio constat posteriores epistulas eodem tempore quo epistulae ex Ponto scriptae erant editas esse, met. autem librorum partem priorem iam ante exilium perfectam et retractatam esse.

Maioris autem momenti est, quod Ovidius nusquam in carminibus posterioribus mentionem facit epistularum heroidum, quod non neglexisset, si eodem fere tempore epistulas scripsisset; atque rectissime iudicavit W. Zingerlius[2]) epistulas haudquaquam benevole exceptas esse a legentibus. Quae cum ita sint, quis est qui putet, Ovidio in his epistulis, quae potius rhetorum discipulum decent tum cum virili aetate met. libros et alia carmina componeret, iterum venisse in mentem, hoc iuvenile opus repetere? Quomodo fieri potuit, ut poëta carmina quae nullius fere pretii habita erant postea more a prioribus epistulis diverso componeret; nam in posterioribus et heroes scribunt et heroides heroum epistulis respondent; quo porro iure has epistulas libro adiungere potuit, quem ipse heroidum librum i. e. epistularum librum, quas heroides, non heroes, scribunt, nominabat? Addas, quod heroides sex ultimae magno versuum numero, exuberante quadam loqua-

---

1) Untersuchung zur Echtheitsfrage p. 2.

2) ibid. p. 2.

citate, metri et elisionis imprimis licentia maxime distant a prioribus, cum illud potius spectandum fuerit, ut posteriores epistulas quam simillimas redderet prioribus. Accedit quod hanc novitatem poëta silentio ita praeterire non potuit, ut nunquam de hac re verba faceret.

Sed iam contemplemur locum illum praestantissimum am. II. 18. Versibus huius carminis ultimis Macrum Ovidii sodalem vel in epicis carminibus componendis amoris ludicra non sprevisse dicitur, quippe qui de amore ‚Paridis et eius adulterae' [1]) scriberet et hac re in Ovidii ‚castra' veniret. Quae hoc loco de Paride et Helena dicta sunt Tolkiehnus [2]) ad ep. XVI. Ovidii pertinere censet, quia vox ‚adultera' vix referri possit ad Oenonen, legitimam Paridis coniugem, in ep. V., sed ad Helenam spectet, quae ‚adultera' disertis verbis appelletur in ep. XVI. Sed coniectura haec est, sine ulla veritatis specie. Qua enim ratione hoc vocabulum Ovidium ea de causa usurpasse intellegi potest, quod ipse de illis amoribus in epistulis scripsisset? Atque apparet, cum Macer carmen epicum composuerit, in quo Paridis et Helenae amorem praecipue commemorari necesse erat, Helenam adulteram perstringendam fuisse, cum ipsius adulterio bellum, quod Macer describit, exarserit. Accedit quod ipsa in ep. V., quam paullo antea [3]) Ovidius ipse sibi vindicaverat, Helena non solum coniux perfida diserte appellatur, sed ipsa voce ‚adultera' in v. 125: ‚sit facies quamvis insignis, adultera certe est' designatur. Nulla igitur re ut versus quattuor ultimos am. II. 18 ad epistulam XVI. referamus, adducimur.

Restat ut aliud argumentum, quod nonnulli ut posteriores epistulas Ovidii esse exsulis comprobent, attulerunt, quanti sit pretii discamus; dico epistularum partitionem in

---

1) am. II. 18. 37. et II. 18. 40.

2) quaestionum ad heroidas Ov. spectantium capita VII. diss. Lips. 1883 p. 13.

3) am. II. 18. 23.

duos libros[1]), quae in codice quodam Farnesiano invenitur. Sed aliae quoque partitiones Sedlmayro auctore exstant, ut in libros tres, quattuor, quinque; itaque grammaticos epistulas prout aptum videbatur, in libros distribuisse apparet.

Haec in universum commemoranda sunt contra eos, qui Ovidium aetate virili denuo heroidum epistulas retractatas esse putant. Alia nonnulla argumenta in eum locum differre iuvat, quo proprie et accuratius de ep. XVI. et XVIII. genere dicendi et sententiarum ratione et aliis argumentis disserere opus est. Nunc vero, quo modo posteriores epistulae oriri potuerint, exponendum est. Iterum recurro ad am. II. 18, quo loco Sabinum Ovidii aequalem et amicum ad illius heroidas responsorias scripsisse epistulas aperte dictum est; nominantur autem epistulae, quae respondent ad ep. I. II. IV. VII. XV., qua re Loersius[2]) non sine quadam veritatis specie in Sabini epistulis heroes ad omnes priores epistulas rescripsisse concludit, ipsius Ovidii verbis ductus: II. 18. 27: ‚Quam cito de toto rediit meus orbe Sabinus-Scriptaque diversis rettulit ille locis!' Sabinum autem iam ante Ovidii exsilium mortuum esse, nunc inter omnes constat. Quid igitur mirum, poëtam quendam alium id quod inceperat Sabinus ad finem perduxisse et responsorias fecisse epistulas, sive omnes et heroum et heroidum epistulas inde ab ep. XV ad eum auctorem refers sive ad ep. XV et XVII respondisse i. e. ep. XVI et XVIII scripsisse eum putas. Quod admodum verisimile est; bene quoque in hanc sententiam quadrat, epistulas XVI et XVIII apte congruere cum epistulis quibusdam prioribus et hac concinnitate imitatorem indicare. Quod priusquam accuratius exponam, pauca mihi dicenda sunt de aliis argumentis quibus epistulas XVI et XVIII Ovidii non esse dilucide appareat.

---

1) H. St. Sedlmayr: P. Ovidii heroides apparatu critico instruxit et edidit. diss. Vindobon. 1886.

2) edit. prooem. p. 80.

Atque primum sententiarum rationem in ep. XVI inspiciamus, quae nonnullis viris doctis Ovidio vere digna videbatur, cum eam summam compositionis artem insignemque reddere mentis Helenae imaginem iudicarent. Quibus equidem non assentior. Quis enim probabit, poëtam postquam Helena per versus triginta quinque durissime in Paridem invecta temeritatem eius et audaciam quam vehementissime castigavit et crimini ei dedit quod legitimum coniugium rumpere ausus sit, subito v. 35 dicere: se tamen amanti irasci non posse, unum sibi esse curae, ne amor verus sit atque quodammodo se peccare velle dicit, si peccare possit inscia et innoxia? Deinde v. 111 rogat, ut ab audaci consilio desistat famamque timeat, nonnullis autem versibus post (151) interrogat: ‚sed cur desistas, dissimulare potes.‘ Quis porro est quin intellegat, sententiarum ordinem non recte procedere, cum Helena quae v. 75 furtiva amoris indicia a Paride inter convivium data notare se negaverat v. 87 e contrario verba mero ducta vel aliis notis expressa se videre quidem et legere, sed ‚credere me tamen hoc oculo renuente negavi‘ dicat? Tum languidiorem facit iterationem sententia ter vel quater in viginti versibus et quinque repetita, legimus enim v. 154/155: ‚est data libertas quod Menelaus abest‘; v. 165: ‚Sic meus hinc vir abest‘; v. 179: ‚et vir abest nobis‘; v. 171: ‚nec, quod abest.‘ — Denique tota sententiarum ratio et locutionum color imitatorem sapiunt. Conferas modo v. 131, qui optime quidem excipit versum 128, sed cum interpositis versibus (128—30) non cohaeret. Item inopinata est narratio in v. 51 sequ. et alia multa, ut sunt in v. 41, 42, 175, et sententiarum conexus particula ‚at‘ factus in v. 115, 151, 221. Cui postremo versus 247 sequ. perlegenti persuasum non est, poëtam illum doctrina mythologica excellere studere?

Neque minus ep. XVIII vitiis caret, de qua Lehrsium [1]) sequor; is enim hanc epistulam usque ad versum 64 sua-

1) In ed. Horatii, prooem. p. 232.

vitate quadam et elegantia fluere, inde autem minutiis, repetitionibus, discrepantiis refertam esse ostendit. Contemplare modo versus 71—75, quam frequens est in iis iteratio sententiae haud ita magni momenti! Tum v. 83/84 nihil fere differunt a versibus 89/90. Sed absurditate prorsus referti sunt v. 119 - 124, quod iam Lehrsius[1]) admonebat. Observa etiam nimiam fabularum affectationem, quam etiam illis locis, in quibus explanatio exemplis et comparationibus non desideratur, invenimus. Nam quid sibi vult excursus de matre Helles, quid Neptunus et alii, qui magna ex parte paene sunt ignoti, quibusque imprimis v. 132 - 36 referti sunt? Lehrsius[2]) quoque versus 39 - 53 et 59—77 eicit, quippe qui pompa, argutiis, tumore, unius sententiae iterum atque iterum repetitae studio abundent. Atque iure offendunt eum ineptiae et morositas inutilis in v. 86: ‚non minus, aut multo non minus aequor erat.‘ Idem sagaciter monet, v. 157 aptissime consequi versum 118, versibus autem interiectis filum narrationis interrumpi et in iis Heronem iam aliis in rebus versantem fingi, ita ut v. 149 et 155 iam natans et cum fluctibus pugnans intellegatur. Deinde ab Herus et Leandri fabula alienissimum esse notum est, quod etiam Hero communi illo vitio omnium fere amantium, dico amoris stimulos, obstricta fuerit; tamen in hac epistula, ut E. Rhodius[3]) recte docet, versus 101—102 in hoc ipso amantium cruciatu versantur; neque recte se habet quod nescio quis poëtae hanc mentionem concedit dicens, ‚cum in aliis fere omnibus epistulis amoris cruciatus et vexationes amplius dissererentur, in hanc quoque epistulam hoc momentum facile irrepsisse;‘ quod ut equidem puto, Ovidius numquam fecisset, sed cuidam potius imitatori tribuendum est, qui nimis anxie magistri vestigia sequebatur.

Quas attuli suspiciones solas non sufficere ad epistulas abiudicandas Ovidio inter omnes constat, contra eas, si alia

1) ibid.
2) l. c. p. 235.
3) Griechischer Roman p. 135 n. 2.

argumenta gravioris momenti accedant, haud parvi aestimandas esse nemo negabit.

Sed priusquam ad alia pergam, non alienum mihi esse videtur hoc loco omnes quas supra dixi argumentationes ex arte metrica petitas in unum conspectum contrahere. Sunt autem hae:

I. ‚Nihil‘ pyrrhichiace positum alibi in carminibus amatoriis non legitur, at in ep. XVIII, 170.

II. XVI, 97: ‚disce meo͡ exemplo.‘ Elisio vocabuli iambici in arsi solis in met. libris exstat.

III. XVI, 16 et XVIII, 202. Versus exit in polysallaba, quod non reperitur, nisi in epistulis ex P.

IV. XVIII, 148: ‚a tibi suspecto ducit Ulixĕ genus.‘ Ablativus nominum propriorum, quae graecum dativum in ει admittunt, ē vel ī longa formatur. Nonnumquam apud alios poëtas similia inveniuntur.

V. XVI, 213: ‚tu quoque qui poteris.‘ ‚Qui‘, pro ‚quomodo‘ dictum nunquam legitur apud Ovidium, invenitur autem apud Plautum [1]) ter, Terentium [2]) ter, Persium [3]) bis, Ciceronem [4]) ter, Horatium [5]) in satiris et epistulis sedecies. At fortasse hic dicat aliquis, Ovidium qui Horatium interdum imitatus est [6]), hanc quoque particulam ex illius sermonibus sumpsisse admodum verisimile esse. Attamen Ovidium nusquam in carminibus ‚qui‘ ita adhibuisse et omnes poëtas Latinos elegiacos hac particula se abstinuisse, neglegendum non est.

Iam veniamus ad aliam suspicionem quae Eschenburgio [7]) cum de arte metrica Ovidii dissereret, orta est in ep.

1) Pl. merc. II. 3. 60; amph. II. 2. 133; bacch. V. 2. 45.

2) Ter. Andr. II. 1,34; I, 1, 123; hec. III. 1. 39.

3) P. I, 56; V. 130.

4) Cic. de nat. d. I. 10, 30; de fin. II, 4.

5) sat. I, 1, 1; 108; I. 3. 128; 10, 21; II. 2. 19; 3, 108, 241, 260, 275, 311; 7, 96, 105; ep. I. 6, 42; 16, 63; II. 2, 90; a. p. 462. —

6) cf. A. Zingerle: Ovidius u. s. Verh. zu den Vorg. und gleichz. röm. Dichtern.

7) metr. Unt. p. 14.

XVIII, 29: ,atque rogem de te͡ et scribam tibi.' Nam Ovidium numquam in carminibus iuvenilibus syllabam longam in arsi tertia cum vocali insequenti coniunxisse rectissime monet.

In ceteris carminibus Eschenburgius hanc elisionem his repperit locis: fast. III, 585: ,vela cadant primo͡ et dubia librantur ab aura': in met. l. in versibus duodecim. Aliud quod affert exemplum, ex P. IV, 3, 33 folio͡ et in arsi tertia elisum, in Merkelii editione non invenitur, quae ,et' omisso: ,quolibet est folio, quavis' exhibet. Omnibus autem quos citavi locis syllaba longa vocabuli plus qum dissyllabi cum copula ,et' confunditur; sed uno loco similiter atque in ep. XVIII. 29 pronomen ,se' cum vocabulo monosyllabo commissum est: met. XIV. 4. 62: ,excusat nec se͡ aut soceri committere pugnae'; hic tamen usus hac re distat ab epistulae elisione, quod hic in vocali natura brevi, illic in vocali natura producta fit elisio.

Nunc omnes leges quae ad metrum, elisionem, similia attinent accuratius paullo percenseamus. Primum igitur Birtium [1]) secutus, quid numeri, quos ille in comparationem adducit, varii in varia carmina distributi valeant, ita examinabo ut has solas epistulas de quibus disputamus respiciam. In quo illud primum monendum est Birtium ponere tres hexametri formas; atque prima una caesura praedita est: ,respondit Juno Saturnia sancta dearum'; secunda caesura trithemimeri et penthemimeri instructa: ,exspectans, / si mussaret, / quae denique pauca'; tertia ter incisa caesura trithemimeri et hephthemimeri cum caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον* coniuncta: ,ingenium / cum nulla / malum / sententia suadet'. Atque primum primae formae hexametros accuratius investigat et versus primo pede spondiacum continentes nota designat pps, eos, qui dactylum: ppd; tum ad versus quorum pes quartus spondiacus est: pqs notam adplicat, ad eos, quorum idem pes

1) **Animadversiones ad Ovidii heroid. ep; mus. rhen. 32 p. 386—432.**

dactylicus: pqd. Rationem ut melius perspiciamus, tabellam repetere mihi liceat, quam Birtius proponit.

Her. Ovid.	pps.	ppd.	pqs.	pqd.
	$50^1/_4$	$6^2/_5$	$9^4/_9$	$11^{11}/_{13}$
ep. ceterae usque ad XIV.	$53^1/_2$	$5^2/_7$	$9^9/_{13}$	$7^2/_3$
ep. XV et XVI.	322	$6^2/_5$	$11^1/_2$	10
ep. 17. 18.	$53^1/_2$	$6^1/_9$	8	12
„ 19. 20.	$81^2/_3$	$6^1/_8$	$8^3/_4$	$18^{11}/_{13}$
„ Sapphus.	37	10	$8^1/_2$	$12^2/_9$

Addo numeros epistularum XVI et XVIII.

ep. 16. 18.	239	$5^1/_2$	$8^1/_4$	$11^1/_3$

In hac igitur re nostras epistulas cum alliis consentire apparet, nisi forte offendas quod ep. XVI forma pps omnino caret, et f. pqs pro rata parte rarius paullo exstat.

Secundam formam quae sola in ep. II. 37: perpetuum / mihi iurasti / nisi fictus et ille est', reperitur, praetermittens ad tertiam formam pergamus, quae quoties legatur schema infra allatum docebit. Ad hoc Birtius numerorum calculum facit e pentametris qui partem priorem spondiacis refertam exhibent, quos notâ significat: Psp. et ex iis qui pede primo unum vocabulum spondiacum (P. Spp.) continent. Tabella haec est:

	f. III.	P. sp.	P. Spp.
ep. Ovid.	$9^4/_9$	$17^1/_4$	121
ep. dubiae usque ad XIV.	$8^5/_9$	10	74
ep. 15. 16.	$80^1/_2$	$6^1/_5$	$53^2/_3$
„ 17. 18.	$23^7/_9$	$10^2/_3$	$71^1/_3$
„ 19. 20.	$14^4/_7$	7	61
„ Sapph.	10	$27^1/_2$	110

Epistulas XVI et XVIII perscrutanti exempla mihi occurrebant ita, ut computatione supra adhibita iterum facta hi numeri provenirent.

$39^5/_6$	$7^2/_3$	$56^3/_4$

Numeris inter se comparatis facile intellegimus nostras

epistulas f. III. eo usque egere, ut Ovidio eas tribuere prorsus ridiculum sit, contra pentametros, quorum pars laeva spondiacis compleatur, multo saepius inveniri quam in reliquis.

Haec de Birtii tabellis. Sed ut ratione et via inita procedat disputatio iam investigemus, quidnam ex Eschenburgii [1]) observationibus lucremur. Is enim artem metricam qualis est in epistulis vere Ovidianis cum ea quae in dubiis reperitur, comparat et id agit, ut quot et quales in utrisque sint caesurae inusitatae aperiat. Iam ex Birtii commentatione intellegi potuit, nostras epistulas sex [2]) tantum exempla duplicis incisionis cum medio trochaeo iunctae praebere, atque Eschenburgius [3]) hanc quaestionem longius persecutus fructum negotii hunc petivit: — numeri qui indicant, quoties haec forma in centenis versibus legatur, a me additi sunt. — Ter igitur incisi sunt:

In v.	593	heroid. Ovidian.	59	=	9,9.
„	1209	carm. amator.	91	=	7,6.
„	2388	met. l. I—III.	239	=	10.
„	1086	ep. dubiarum	63	=	5,8.
„	239	ep. 16 et 18	6	=	2,5.

Iterum vides hanc versus formam rarissime exstare in ep. XVI. et XVIII., si perpendas, pro rata parte in illis quattuordecim exempla legi debuisse.

Videamus num aliter res habeat in versibus, in quibus caesura semiquinaria cum semiseptenaria iuncta est, cuius generis Eschenburgius haec apponit exempla:

In v.	593	ep. Ovidian.	33	=	5,5.
„	1209	carm. amat.	72	=	5,9.
„	2388	met. l. I - III.	114	=	4,7.
„	1086	ep. dubiarum	54	=	4,9.
„	110	Sapphus	5	=	4,5.
„	239	ep. XVI et XVIII	11	=	4,2.

1) metr. Unters. p. 1.
2) l. c. p. 390.
3) m. U. p. 12.

Quibus cognitis statim intellegitur, epistulas suspectas cum genuinis nullo modo concordare, sed potius ad met. librorum artem propius accedere. In solis ep. XVI et XVIII haec incisionis species non saepius invenitur quam undecies (4,2).

Alia Eschenburgii observatio ad eos versus pertinet, qui ita sunt compositi, ut vocabulum quartum trochaeum expleat; cuius generis Eschenb. hunc proponit ordinem: In v. 593 ep. Ov. 36. s. 6, in v. 1209 carm. amat. 78 s. 6, 4; in v. 386 art. am. I. 28 s. 7, 2; in ep. Sapphus 15 s. 13, 6. Quo facilius quisque intellegit omnes epistulas hac versuum pangendorum ratione haud ita multum inter se differre, eo clarius eminebit discrepantia in ep. XVI. et XVIII. Verbum enim post quartum trochaeum finitur sexies in ep. XVI, ter in ep. XVIII, quod facit 9 s. 3, 7.

Satis de Birtii et Eschenburgii observationibus metricis dixisse mihi videor, quibus efficitur, ut artem metricam in ep. XVI et XVIII adhibitam cum ceterarum epistularum elegantia congruere, nemo contendat. Quibus cognitis paucis attingere iuvat, quod A. Riesius [1]), ut posteriores epistulas quam maxime consentientes redderet cum epistulis in Ponto scriptis, animadvertit. Eschenburgii exemplum secutus, hexametri exitum observationibus amplexus Ovidium perraro et maxime in carminibus posterioris aetatis a constanti usu discedere docet, ut si versus heroicus in duo vocabula monosyllaba exeat, verbum proxime antecedens dactylicum sit. At in ep. ex Ponto vocabulum ante duo monosyllaba, quae versum claudunt, una syllaba contineri affirmat; ubi autem lege servata in heroidibus posterioribus vocem dactylicam anteponat Ovidius, illius usus frequentiam, cum consuetudine poëtae exulis facere. Numeros computandos proponit hos: exstat in carminibus amatoriis undecies, in ep. genuinis ter, in fast. libris duodecies, in met. l. sexagies. Sequitur, si versuum numerum comparemus, ut

---

1) Burs. annal. 1874/75 p. 234.

in ducentos quosque versus unum eius modi cadat exemplum. Contra exstat in trist. libris vicies bis, in ep. dubiis quaterdecies, in ep. ex P. vicies bis. Itaque terna huius generis exempla leguntur in versibus ducenis. Ac recte quidem! Sed quid? In ep. XVI et XVIII solis hexameter non minus quam sexies duobus vocabulis monosyllabis terminatur, quare si Riesii rationem sequimur, vel quini inter ducenos versus huius generis hexametri exstant. Nonne igitur extra dubitationem positum est, has epistulas certe Ovidii non esse? Nam ne in ep. quidem ex Ponto simile quidquam inveniri potest; elige quaeso priores sex epistulas libri primi, quae totidem versus habent, atque nostrae epistulae, duo tantum exempla reperies.

Ad aliam artis metricae proprietatem illustrandam adgrediamur; quaeritur enim quibus pedibus, versus hexametri et pentametri compositi sint. Observationes de hac re primum fecit Drobischius [1]), deinde Hultgrenus [2]), quos denique secutus Tolkiehnus [3]) versuum formas quattuordecim epistularum priorum inter se comparat et ad hunc venit disputationis exitum, ut inter ep. quattuordecim priores a Lachmanno reiectas et eas quae certo sunt Ovidii similitudinem quam maximam esse iudicaret. Quibus observationibus adductus omnes versus formas quae exstant in ep. XVI et XVIII composui et differentias haud exiguas statui posse puto inter ep. Ovidianas et nostras. Atque ut ab hexametris exordiar, versus heroicos 617 ep. certo Ovidianarum cum 239 versibus ep. XVI et XVIII comparabo.

Tabella igitur ultimo pede utique omisso haec exstat:

---

1) Ein statistischer Versuch über die Formen des lat. Hexam. in actis soc. reg. sax. 1866/68.

2) Observationes metricae in poët. elegiacos Graec. et Lat. progr. Lips. 1871 p. 26 sequ.

3) l. c. p. 109.

	In ep. Ovid. v. 617.		In ep. dub. vers. 239.	
f. dssdd	89	= 14,4.	35	= 12,9.
ddsdd	93	15.	35	15.
dsssd	66	10,7.	42	17,6.
dddsd	41	6,6.	15	6,4.
dsddd	62	10.	23	9,6.
ddssd	57	9,2.	26	10,9.
ddddd	46	7,4.	20	8,3.
dsdsd	69	11,2.	9	3,5.
sdsdd	20	3,2.	9	3,5.
sddsd	10	1,6.	5	2,1.
sdssd	19	3,1.	4	1,6.
sdddd	11	1,8.	4	1,6.
ssdsd	7	1,1.	3	1,2.
sssdd	7	1,1.	3	1,2.
ssddd	9	1,4.	3	1,2.
ssssd	11	1,8.	4	1,6.

Numeros accuratius percensentibus nonnulli nobis occurrunt numeri, qui admodum inter se discrepant. Atque imprimis f. dsssd in nostris ep. multo saepius (17, 6) invenitur quam in aliis (10, 7); invicem f. dsdsd in ep. XVI et XVIII rarius (3, 5), quam in aliis (11, 2). Prima quoque compositio dssdd in his saepius locum tenet, item f. sdssd. Ac ne quis dicat, hac computatione certam argumentationem effici non posse, altera tabella instituta numeris notavi, quoties formae singulae in versibus numero aequatis exstent; itaque versus 239 ep. XVI et XVIII cum ep. I. II. IV. quae 220 versus continent, et cum ep. ex P. quinque prioribus, quae dant hexametros 236, contuli. Iam numeri loquantur:

	In v. 220 ep. I—III.	In v. 239 ep. 16. 18.	In v. 236 ep. ex P.
dssdd	30	33	34
ddsdd	37	36	32
dsssd	18	42	32
dddsd	13	15	17
dsddd	25	23	12

ddssd	16	26	31
ddddd	25	20	18
dsdsd	28	9	22
sddsd	1	5	6
sdssd	7	4	10
sdddd	5	4	1
ssdsd	2	3	3
ssddd	3	3	—
sssdd	—	3	7
ssssd	3	4	7
sdssd	7	9	4

Forma igitur dsssd — 10, 7: 17, 6 in priore tabella — in ep. XVI et XVIII quadragies bis admittitur, in her. I—IIII. duodevicies, in ep. ex P. tricies bis, praevalet igitur in nostris ep. Item multo magis frequentatur in illis f. ddssd (26), ita ut epist. XVI et XVIII propius accedant ad ep. ex Pont (31). Sed maxima discrepantia in f. dsdsd observatur, quae numeros habet 28 vel 22 in aliis ep., sed in nostris numerum perexiguum 9. Item f. sdssd in his quater tantum posita est, at in illis septies vel decies.

Plura commemorare non opus est; nam ex his quae attuli liquet, rationes metricas in nostris ep. admodum diversas esse ab ep. vere Ovidianis. Sed paullulum iam versabimur in tabella ultima, ex qua, si quae contra Riesium et eos qui huius rationem sequuntur, argumenta praebeat, demonstrare mihi liceat. Epistulae igitur ex P. plurimarum formarum frequentia et a nostris ep. et a genuinis quas examinavi, tantum abhorrent, ut ep. XVI et XVIII in Ponto scriptas esse verisimile non sit et maxime improbabilis haec sententia videbitur, si animadvertemus, formam dsdsd in nostris ep. novies, in ep. ex P. vicies bis legi. Eadem discrepantia est in f. sdssd, cui in ep. XVI et XVIII quater, in ep. ex P. decies locus datus est; item hae ep. f. sdddd semel demonstrant, aliae quinquies vel quater. Similiter se habent f sssdd, ssssd, sdsdd, imprimis dsddd.

Sequitur ut pentametri compositionem examinem. Atque formae quae et duos primae partis pedes spondiacos exhibent (ss) et alteram partem spondiacam, alteram dactylicam (sd) habent, saepius inveniuntur in nostris ep. quam in ceteris quibuscum eas comparavi. Quod quo clarius cognoscamus, tabellam apponere iuvat et ordini primo pentametros epistul. I. II. IV, medio ep. nostras, postremo ep. ex P. I—V adtribuimus. Semel exstat:

dd	66	66	57
ds	115	108	128
sd	25	32	24
ss	14	33	27.

Acrius observantem numeros non fugiet eos Riesii sententiae non servire. Sed cum satis ex his quae dixi apperere mihi videtur, observationes illas metricas satis multa habere argumenta quibus epistulas XVI et XVIII iure ab Ovidio nos abiudicare iterum demonstratur, restat ut aliam rationem ab Hultgreno[1]) initam, a Tolkiehno[1]) amplificatam paucis illustremus. Nonnulla enim obervaverunt quae ad chiasmum quem vocant, pertinent i. e. ad illam elegantiam metricam qua poëtae versuum compositiones maxime inter se diversas artificiose miscent. Aliae igitur chiasmi rationes quae in ceteris carminibus reperiuntur, desunt in nostris ep., aliae exstant. Exempla sunt:

ep: ddsdd praecedit ssdsd in ep XVIII. $^{135}/_{137}$.

cf. ep. XII $^{169}/_{71}$; — am. I. 4 $^{15}/_{17}$; II. 2$^{1}/_{3}$; 9 $^{35}/_{37}$; III. 11. $^{31}/_{35}$.

dssdd respondet sddsd in ep XVI $^{149}/_{51}$; $^{237}/_{39}$.

cf. ep. III $^{3}/_{5}$; XII $^{161}/_{163}$; XIII $^{121}/_{123}$. $^{153}/_{157}$: II $^{63}/_{65}$.

am. I. 2 $^{43}/_{45}$; I. 17 $^{53}/_{55}$; II. 2 $^{23}/_{25}$ etc.

sssdd: dddsd in ep. XVI $^{219}/_{221}$.

cf. ep. V $^{23}/_{25}$; — ep. IX $^{17}/_{19}$; XII $^{145}/_{47}$; XIII $^{21}/_{23}$.

dsddd: ddsdd in ep. XVI $^{109}/_{111}$; $^{135}/_{137}$.

cf. ep. VIII $^{11}/_{13}$.

---

1) l. c.

ddsdd: dsddd in ep. XVIII $^{105}/_{107}$; $^{147}/_{119}$.
cf. ep. VIII $^{91}/_{93}$.

Exempla percurrentem non fugiet, in solis ep. a Lachmanno Ovidio adscriptis artificiosae huius versuum collocationis nullum fere exemplum reperiri, nonnulla in iis, de quibus dubitationes movet Lachmannus, plurima in ep. XVI et XVIII.

E re esse puto, de homoeoteleutis, quae nostrates ‚rimorum' nomine appellant i. e. de verborum concinnitate in versuum exitu, pauca dicere. In ep. 16 et 18 exstant:

XVI. 13. 15 pudoris: ore; 17. 19: vixi: coepti.
137. 139 aratro: repugno; $^{151}/_{3}$ mavis: nobis
33. 35. illi: amanti; 77, 79, 80, 81, 82, 84: protervis, nobis, bibis, notavi, dari, nobis.

XVIII. 35. 37: tecto: fuso: $^{55}/_{57}$ noctis: dormis;
67. 69. amantes: noctes; 101. 103 quam si: lacerti.
131. 135: forma: nata; $^{189}/_{191}$: per undas: ad undas.

Maiorem vim haec concinnitas affert, si syllabae in fine pentametri accentu instructae inter se consonant:

XVI. $^{20}/_{22}$ mei: rapi; $^{28}/_{30}$ mei: tui; $^{46}/_{48}$ erat: erit. 64. 66. 68. tua est: deas: eras. $^{90}/_{92}$: loqui: capi; $^{100}/_{102}$ habes: adest; $^{108}/_{110}$: habet: habet; $^{112}/_{114}$ noce: habe; $^{120}/_{22}$ tuo: ego; $^{152}/_{4}$ potes: abest; $^{160}/_{2}$: ait: erit; $^{224}/_{6}$: ero: modo.

XVIII. $^{8}/_{10}$ moram: mora; $^{40}/_{42}$ meo est: suos; $^{58}/_{60}$ venis: meis; $^{96}/_{8}$ amor: minor; $^{106}/_{8}$ tua: nova; $^{152}/_{4}$ dedit: bibit; $^{188}/_{90}$ meis: meis; $^{208}/_{10}$ vias: meas.

Adiungo concentus qui efficiuntur, si finis hexametri a pentametri exitu eadem fere syllaba excipitur et vice versa:

XVI. $^{2}/_{3}$ levis: sacris; $^{7}/_{8}$ venires: fores; $^{19}/_{20}$ coepti: mei; 35 amanti: amor; 49 erit: redemit; 51 iactas: mea est; 55 parentem: avem. 81 notavi: dari; 87 nostro: amo; 89. 90. 92 negavi: loqui: capi; 100 habes: audes; 115 Idae:

deae; 181 coimus: domus; 229 Jason: domo; 234 suo: alto; 251 loquaris: daris.

XVIII. $^6/_7$ viris: puellis; 13 hamo: mero; 18 amo: susurro; 27 anus: passus; 32 aqua: hora; 43 vestes: putes; 57 dormis: venis; 60 meis: membris; 66. 67. 69. 70: soles: amantes: noctes: abes. 114 dies: Helles; 142 duas: carinas; 144 ducem; natantem; 160 vias: undas; 167 aequor: aquis; 171 amare: amor. Notatu vero dignum est ep. XVIII. 188—191 eadem voce hexametros, eadem quoque pentametros concludi: meis: undas: meis: undas, et v. $^{193}/_4$ noctis: meis.

Denique exempla mihi afferre liceat, in quibus versus medius cum eiusdem versus exitu concinit, ut est in ep.:

XVI: 9 esset ut officii merces iniuria tanti

10. quo sic intrabas, hospes an hostis eras?

12. rustica iudicio nostra querella tuo.

14. vitae: meae; 16: duris: superciliis; 25. redii: nihil; 49 erravit: redemit; 66: ipsas: deas; 55 dat mihi Leda Jovem cygno decepta parentem, — quae falsam gremio credula fovit avem. — At, ne taedium faciat disputatio, nunc solos versuum numeros citabo et in iis tantum versibus ipsa verba adscribam, qui propter similem sequentis versus terminationem memorabiles videntur:

ep. XVI. 69. 74 75. 80:

sumis, quaque bibi, tu quoque parte bibis, a! quotiens digitis, quotiens ego tecta notavi;

v 84, 88, 90, 105, 112, 129, 139; — 143:

nunc quoque quod tacito mando mea verba libello fungitur officio littera nostra novo.

v. 156, 172, 179, 183, 185, 190, 194, 195; — 203:

cursibus in mediis novitatis plena relinquis, — gaudia cum ventis noster abibit amor.

214, 234, 242, 248, 249, 253, 256, 257, 262, 263, 264.

In ep. XVIII. 5:

fortius ingenium suspicor esse viris

ut corpus teneris ita mens infirma puellis

v. 9, 10; — 13:

nunc volucrem laqueo, nunc piscem ducitis hamo; diluitur posito serior hora mero.

22, 32, 33, 36, 38; 35: 37:

protinus in summo vigilantia lumina tecto
tortaque versato ducentes stamina fuso.

48, 49, 58, 60, 82, 90; 99:

interdum metuo patria ne laedar et inpar — dicar Abydeno Thressa puella loco.

106, 117; 118:

iamdudum pecca, si mea fata petis, — sed neque peccabis, frustraque ego terreor istis.

v. 124, 126, 129, 134; 142:

seducit terras haec brevis unda duas.
te decet aut magnas magnum iactare carinas.

145, 158; 160:

Sternet et aequoreas aequore nata vias — ire libet medias ipsi mihi saepe per undas. 163: nam cur huc vectis Phrixo Phrixique sorore — sola dedit vastis femina nomen aquis?

168, 179; 188—192; 194, 195, 197, 199, 201, 207, 208, 210.

Postremo commemoro vocum consonantias inter duos versus continuos, sive pars prioris versus media in eandem cadit syllabam atque posterioris exitus sive utriusque versus mediae partes inter se consonant. Prioris generis exempla haec sunt: Ep. XVI. $^{35}/_{36}$: irascor: amor.

$^{96}/_{97}$; $^{140}/_{141}$; XVIII. $^{1}/_{2}$; $^{29}/_{30}$; $^{101}/_{105}$; $^{156}/_{157}$; $^{175}/_{176}$.

Ad posteriorem modum spectant:

XVI. $^{59}/_{60}$: Quos ego suspicio — . . .

Quintus is a nostro . . Confer $^{62}/_{63}$; $^{186}/_{137}$; $^{154}/_{155}$; $^{223}/_{224}$; $^{250}/_{251}$; XVIII. $^{16}/_{17}$; $^{61}/_{62}$; $^{95}/_{96}$; $^{109}/_{110}$; $^{154}/_{155}$; ;$^{203}/_{204}$.

Hic finis esto! Nemo non intellegit, ep. XVI et XVIII versus adeo concinere, ut unusquisque fere versus aliqua concentus ratione ornatus sit. Certe igitur Ovidii non sunt; Ovidium enim in hoc orationis poëticae ornamento modum adhibere, notum est; tanta autem usus frequentia

quanta est in epistulis, rhetorum discipulum sapit et Ovidii imitatorem.

Hoc loco occasionem amplissimam mihi datam esse video ad omnem imitatoris rationem illustrandam. Nam re vera in omnibus fere Ovidii sententiis et locutionibus adhibendis hunc poëtam modum excessisse apparebit. Consideres velim pronomen ‚ego' in epistula praecipue XVI tam saepe positum, ut vere molestiam praebeat. Primum igitur exempla affero, in quibus ‚ego' initio versus usurpatum cum particula vel coniunctione iunctum est neque praetermittendum est, has copulationes in nostris ep. multo saepius exstare quam in ceteris. Versus inchoant in ep. XVI: nil ego; quos ego; ‚his ego' bis; ‚aut ego' ter; tunc ego; ergo ego; in ep. XVIII aut ego; cur ego; certe ego; non ego; hic ego.

In ep. indubitatis haec exempla collegi: in ep. I et V terna inveni exempla, in ep. IV et VII quaterna, in ep. VI sex, in epr. X septem, non unum in ep. II et XI. At in ep. XVI novem huius modi exempla reperies, ad quem numerum sola ep. decima propius accedit; in ep. quoque XVIII quinquies haec copulatio legitur. Tum in ep. XVI aliis quoque versuum partibus persaepe ‚ego' adiunctum est, ubi vim nullam habet. Cur enim ‚ego' adiectum est, nisi ut versum compleat in ep. XVI. 81?

a! quotiens digitis, quotiens ego tecta notavi.

90: ei mihi, iam didici, sic ego posse loqui.

136: ferrea sim, si non hoc ego pectus amem.

157: aut mihi sic visum est, ego, cum dubitaret an iret.

Alia omitto, nam dicat aliquis, locis reliquis ‚ego' consulto et graviter positum esse, ut acrius res contraria significaretur, ut est in ep. XVI. 50, 135, 146; in ep. XVIII 119. Sed ut planius appareat, quantopere nostrae epistulae, imprimis ep. XVI, hac re distent ab aliis, perlegas epistulas vere Ovidianas et in ep. I II IV—VII, XI nullum huius modi exempla invenies, sola ep. decima quattuor habet

exempla, sed in omnibus ,ego' oppositionis vi praeditum esse videtur, ut v. 23:

et quotiens ego te, totiens locus ipse vocabat.

73. . . per ego ipsa pericula iuro — te fore, dum nostrum vivet uterque, meam . .

143: . . Si non ego causa salutis
non tamen est, cur sis tu mihi causa necis.

Unus igitur restat v. 60: ,non hominum video, non ego facta boum', ubi ,ego' supervacaneum videtur esse additamentum, nisi ,ego' pro antecedenti verbo ,video' positum esse putes.

Quae cum ita sint, pro certo affirmari potest, ep. XVI et XVIII frequentiore pronominis ,ego' additamento a ceteris epistulis admodum abhorrere. Ac ne in ep. quidem ex Ponto quae Ovidii senectutem spirant, ,ego' crebrius quam in ep. indubitatis inveniri exemplis demonstrabo; exstant in ep. ex P: I. 3, 4, 6, 7, 9, 10 singula exempla, bina in ep. I. 1, 5; trina in ep. I. 8, septem in ep. I. 2 [1]); sed pronomen septies repetitum in ep. I. 2 ex P. nullius ponderis est, quod locutio ,ille ego sum' quinquies cum vi et gravitate versum incipit. At ,ego' alio versus loco fere nusquam in his, quas in quaestionem vocavi, epistulis reperitur; legi ep. V. 32: sumque fides huius maxima vocis ego'; sed hoc loco ,ego' graviter dictum est; item ep. VII. 16: in quibus ut populo pars ego parva tui.

Iam satis de hac re dixisse mihi videor, ut quivis in nostris ep. Ovidii artem dicendi et versus componendi ab alio quodam poëta nimia cum diligentia in suum usum conversam esse intellegat. Cum tamen in hunc disputationis locum pervenerimus, alia quoque argumenta afferre mihi liceat, quibus, etsi certissimo in omnes partes testimonio non sunt, tamen imitatoris inscitiam cognoscamus. Primum igitur exclamationum moles indicare mihi videtur, quanta fuerit

1) ep. I. 3 v. 7; 4. 49; 5, 41, 61; 6, 11; 7, 45; 9, 17; 10, 15; 1, 45, 15; 8, 45, 51, 53; 2, 35, 36, 45, 47, 111, 133, 138.

scriptori cura orationis rhetorice exaggerandae. In qua enim epistula exclamationes tantopere languent quantopere in nostris? Comparare libeat in ep. XVI 30: di melius; 57. i nunc; 81 a'. quotiens; 90 ei mihi; 111 desine molle, precor; 137: crede mihi; 142: di mihi sunt testes; 145: felices, quibus usus adest; 182: me miseram; 183: et peream; 220: terra precor: 225: da veniam; 246: ei mihi. In ep. XVIII. 4: da veniam; 17: teque o mea sola voluptas; 65: me miseram; item v. 161. Totum quaeso animadvertas locum, qui interrogationibus prorsus refertus est, v. 69 sequ.:

cur ego tot viduas exegi frigida noctes?
cur totiens a me, lente natator, abes?

73: cur ea praeterita est, cur non ventura timebas — tam bona cur periit? — Tum v. 115: o utinam; 117: mihi crede; 141: parce ferox. 149: da veniam; 153: ecce; 156: o penitus toto corde recepte mihi; — Quis igitur est quin videat, his in ep. una omnes exclamationes, quae apud Ovidium diversis locis reperiuntur, accumulatas esse? Accedit quod hic poëta imitandi studio sic obstrictus esse videtur, ut etiam proprietates, quae apud Ovidium certissimum versus locum, versus dico initium, occupant, aliis versus partibus collocet Nam numquam Ovidius ipse ,ei mihi' alio loco nisi in primis versus pedibus posuit[1]); at legimus ep. XVIII. 246: ,ibit per gladios, ei mihi! noster amor', qui versus nunquam a Nasone scriptus est.

Hanc quoque Ovidii consuetudinem, ut verba et sententias, quae maximi momenti sunt, repetat, nostrarum ep. auctor eo usque amavit, ut taedium satis magnum afferat. Conferas velim crebras eius modi repetitiones quae prorsus supervacaneae orationi solum ornandae inserviunt; in ep. XVI. 12: nec dubito quin haec, cum sit tam iusta, vocetur — rustica iudicio nostra querella tuo — rustica sim sane.

22: rapta semel videor bis quoque digna rapi: quae sententia iisdem fere verbis legitur in ep. V. 112: quae

1) Eschenb. progr. 1886 p. 64.

totiens rapta est, praebuit ipsa rapi. — 32: et iuvenem facti paenituisse patet — Thesea paenituit.

41: at peccant aliae, matronaque rara pudica est — quis prohibet raris nomen inesse meum?

104: cummea virginitas mille petita procis, — si te vidissem, primus de mille fuisses.

136: ferrea sim, si non hoc ego pectus amem, — ferrea, crede mihi! non sum.

149: in nostris oculos vultibus esse reor.

nec reor hoc falso.

151: at tu dissimula, nisi si desistere mavis — sed cur desistes? dissimulare potes.

154: est data libertas, quod Menelaus abest, — ille quidem procul est . . .

193: Hypsipyle testis, testis Minoia virgo est.

247: his ego, si saperem pauloque audacior essem uterer; utetur, siqua puella sapit.

XVIII. 24: posse quidem, sed te nolle venire, queror — dumque queror.

29: atque rogem de te, et scribam tibi, siquis Abydo venerit, aut quaero, siquis Abydon eat.

58: et quamquam non vis ipse venire, venis.

95: non ego tam ventòs timeo mea vota morantes — quam similis vento ne tuus erret amor.

118: iamdudum pecca, si mea fata petis —

sed neque peccabis.

151: stemuit et lumen, posito nam scribimus illo — sternuit. . .

154: crasque erimus plures, inquit, et ipsa bibit — effice nos plures.

205: si tibi non parcis, dilectae parce puellae.

17: quod faciam superest praeter amare nihil — quod superest, facio.

Aliud ornatae orationes documentum praebet magna copia oppositarum verum, quae mirum in modum iisdem fere verbis continentur. Notavi haec:

Ep. XVI. 10: qui sic intrabas, hospes an hostis eras.
46: error inest; pluma tectus adulter erat
nil ego si peccem possum nescisse. nec ullus — error qui facti crimen obumbret, erit.
49: illa bene erravit, vitiumque auctore redemit.
felix in culpa quo Jove dicar ego?
59: sed qui tibi gloria magna est
quintus, is a nostro nomine primus erit.
80: quaque bibi, tu quoque parte bibis [1]).
101: non tu plus cernis, sed plus temerarius audes nec tibi plus cordis, sed minus oris adest.
108: spes tua lenta fuit; quod petis alter habet.
112: neve mihi quam te dicis amare, noce.
121: utque sit hoc verum, certe pars altera ficta est.
153: lude, sed occulte, maior, non maxima nobis est data libertas.
165: sic meus hinc vir abest, ut me custudiat absens
169: quae iuvat, ut nunc est, eadem mihi gloria curum damno est; 177: et libet et timeo.
173: de facie metuit, vitae confidit, et illum — seprobitas, forma timere facit.
179: et vir abest nobis et tu sine coniuge dormis inque vicem tua me, te mea forma capit.
219: delicti fies idem reprehensor et auctor.
252: a verbis facies dissidet ista tuis.
apta magis veneri, quam sunt tua corpora Marti.
bella gerant fortes, tu Pari semper ama [2]).

Adde versus ep. XVI: 108, 135, 155, 223, 225; deinde quos supra attuli, v. 21, 251, 258; denique eos quos in priore disputationis parte notavi, v. 154, 155, 165, 171, 179, in quibus Helenae virum abesse copiosius enarratur.

Pergamus ad ep. XVIII. Inveni haec:

---

1) conf.: am· I. 4. 32: et qua tu biberis, hac ego parte bibam': et a. a. I. 575.

1) cf. ep. XIII. 84: bella gerant alii, Protesilaus amet'.

1. 3. quam mihi misisti verbis, Leandre, salutem – ut possim missam rebus habere, veni.

5. urimus igne pari, sed sum tibi viribus impar.

24: posse quidem, sed te nolle venire queror.

57: forsitan invitus, mecum tamen improbe dormis — et quamquam non vis ipse venire, venis.

64: quae fecisse iuvat, facta referre pudet

95: non ego tam ventos metuo, mea vota morantes, quam similis vento re tuus erret amor.

104: fitque novus nostri finis amoris amor.

112: crimina vera iubet, falsa timere vetat.

128: hac Helle periit, hac ego laedor aqua.

174: haec decet, illa iuvat. 179: tu quam saepe petis quod amas, tam saepe relinquis.

205: si tibi non parcis, dilectae parce puellae.

quae nunquam nisi te sospite sospes ero.

Denique ut hanc quaestionem ad finem perducam, easdem vel similes voces moleste secum coniunctas esse commemoro. Jure enim in hac re nimium studium orationis exornandae animadvertemus: In ep. XVI. 10 hospes an hostis; 99: optare, quod optas. XVIII. 104: amoris amor; 120: aequoreas aequore; 163: Phrixo Phrixique sorore. — Addas quae iam attuli exempla: XVI. 22, 193, 258; XVIII. 205, 206.

Operae pretium etiam est animadvertere quam saepe hic poëta, ut orationis vim augeat, easdem coniunctiones et particulas adhibuerit, ita ut molestia vere intolerabilis nobis occurrat. Conferas modo in ep. XVI. 77—79 ‚modo' ter repetitum, 81: ‚quotiens' bis; 177: ‚et' per septem versus continuos sententias copulat et novies in his numeratur; ‚quid' in v. quattuor 209—213 sexies legitur, ‚unde' in v. 228 bis. XVIII. 20: per tria disticha sententiae coniunctione ‚aut' iunguntur, item in vers. 41—44 ‚iamne' vel ‚iam' saepius repetitum languorem facit; ‚cur' bis exstat in v. 69. 70, iterum in v. 73 et 74 ter legitur.

v. 93: dummodo sis idem, dum sic, ut scribis, amemur'. Denique v. 175 et 177 inchoant ,ut semel';

Postremo commemoro, nostrarum epistularum scriptorem anxie et consulto omnia vitare, quae veritatis speciem excedunt. Cuius rei testimonia haec sunt: XVI 85: saepe vel exiguo, vel nullo murmure dixi; 156: magna fuit subitae iustaque causa viae, aut mihi sic visum est. XVIII 16: quod faciam, superest praeter amare nihil; quod superest facio; 85: non minus aut multo non minus aequor erat.

151: sternuit et lumen, posito nam scribimus illo; 170: exiguum, sed plus quam nihil illud erat.

Ex his quae dixi abunde elucere mihi videtur, epistulas XVI et XVIII nimio plus Ovidii proprietatibus abundare earumque scriptorem nimia diligentia id egisse ut orationis colorem et artem dicendi quam simillimam redderet ei, quae in Ovidii carminibus observata est; quare vix quisquam de Ovidio auctore cogitare potest. Alia addo argumenta atque primum accuratius artem grammaticam numquid ab Ovidii consuetudine abhorreat, examinabo. Praemoneo, imprimis Hauii, Buchtii, Jacobi dissertationes mihi magno fructui fuisse.[1]) Primum igitur de casuum usu in ep. XVI et XVIII observato pauca dicam[2]). Legimus in ep. XVI 45: ,matris in admisso falsa sub imagine lusae — error inest'. Verbum ,inesse' hoc loco cum praepositione constructum alibi nusquam reperitur apud Ovidium. Omnibus enim aliis locis verbum ,inesse' cum dativo coniunctum est, ut in ep. ipsa XVI 218: ,nostro crimen inesse tuum'; 130: ,tarda solet magnis rebus inesse fides' ex P. III. 3. 70: artibus; ib. II. 5. 68: ambobus; IV. 1. 20; officio; III. 364: ingenio; III. 9. 14: scripto; ib. 16; cunc-

---

1) P. Hau. de casuum usu Ovidiano. dissert. Monast. 1884. — G. V. Bucht: de usu infinitivi apud Ovidium commentatio. dissert. Upsal. 1875. — O. E. Jacobi: de syntaxi in Ovidii tristibus, ep. ex Ponto observata. diss. Rostochiens. 1870. —

2) P. Hau l. c.

tis; 34. cunctis. Ne longus sim ‚inesse' cum dativo tricies semel legitur in omnibus Ovidii carminibus, saepius, ut iam ex exemplis allatis discimus, in ep. ex P. Illud etiam addo, hoc verbum tribus locis in ep. XVI legi, ad quos si alia composita verbi ‚esse' adicias: v. 37 desit; 102 adest; 145; abest v. 154, 165, 171, 179. — merito miraris verborum cum ‚sum' compositorum copiam, praesertim cum in ceteris epistulis ‚inesse' cum suis formis nunquam occurrat; et alia composita multo rarius[1]).

Tum verbum, ‚componere' ea notione praeditum, quam legimus in ep. XVIII 138: ‚molle latus lateri composuisse tuo', ut sit ‚conseruisse, quod exstat ep. II. 58: et lateri conseruisse latus', — qui versus huic poëtae ob oculos versatus esse videtur — alibi non reperitur. Nam omnibus aliis locis ‚componere' significat ‚comparare', ut met. V. 416: componere magnis; ib. XV. 530: cladi componere; am. I. 8. 33: quae se tibi comparet illi. Contra met. IX. 504: ‚componere' legitima notione positum est: toroque mortua componar; item ib. IV. 157: componi tumulo.

Certe igitur hoc verbum ea significatione qua adhibita est ep XVIII. 138 ab Ovidio usurpatum non est. Atque Silius[2]) demum similiter ‚manus componere alicui' dicit, ut sit ‚aggredi'.

Deinde verbum ‚instillare' in ep. XVIII. 153: ecce, merum nutrix faustos instillat in ignes' cum praepositione positum a cotidiano usu abhorrere videtur, cum Cicero[3]), Horatius[4]) hoc verbum cum dativo construxerint. Sed de huius verbi usu alia exempla apud Ovidium non legimus, praeterquam quod ‚instillare' bis non addito casu nominis[5]) positum exstat.

Multum ad hanc constructionem valuisse puto versum 651. fast. II: medios immisit in ignes.

1) adesse c. dat: ep. VI. 152; IV. 169; VII. 184; XV. 329; XII. 181.
2) Sil. pun. VI. 246.
3) Cic. de benef. 16; de senect. 11.
4) Hor. ep. I. 8. 16; sat. II. 2. 62.
5) Ov. fast. II. 579; tr. III 3. 32.

Postremo adiectiva ,similis, consimilis, dissimilis, assimilis' in epistulis et in omnibus carminibus perpaucis exceptis exemplis cum dativo pronominis copulantur atque imprimis contra eos, qui posteriores epistulas Tomis conscriptas esse arbitrantur, dicendum est, in ep. ex P. sine ulla exceptione hanc normam observatam esse [1]: ex P. I. 2. 84; II. 8. 31: tibi; II. 11. 17: dissimilis tibi. Animadvertas quoque velim epistulas heroidum, in quibus legitur: ep. XII. 189: similes tibi; VI. 123: cui similis; in trist. l. IV. 5. 31: similis tibi; met. X. 364: similem tibi traditum est. ‚At in ep. XVI. 30: di melius! similis non fuit ille tui' legimus. Simile aliquid invenimus met XI. 273: dissimilisque sui; I. 6. 27: assimilemque sui. Itaque cum neque in ep. heroidum neque in aliis Ovidii iuvenis carminibus poëta a constructione cum dativo recesserit, permirum videretur, sola in ep. XVI genetivum maluisse.

Quibus exploratis iam ad infinitivi usum pergens, quatenus cum Ovidii consuetudine conveniat, quaeram. Atque primum in ep. XVI. 137: ,repugna' cum solo infinitivo ,amare' iunctum est, quae constructio alibi apud Ovidium non legitur. Verbum etiam ipsum ,repugnare' in aliis carminibus nunquam alii verbo coniunctum iuvenies, nisi ep. XIX. 121: ,siquis, ne fias nostra, repugnat'; sed hoc loco constructio prorsus diversa est. Atque Cicero [2] uno loco ,repugnare' infinitivo coniungit: ,repugnat enim, recte accipere et invitum reddere'; similiter Lucretius IV. 1082: quod fieri contra coram natura repugnat'; accusativum cum infinitivo admittit. Sed cum apud Ovidium hic ipsius verbi ,repugnare' usus alio exemplo defendi non possit, alia verba similia quo modo usurpata sint ab eo, quaeramus! Atque ,resistere' similiter adhibitum non est, neque ,respuere, obsistere, deterrere'; verbum autem ,timere' interdum cum solo infinitivo sociatum esse videmus, ut am. I. 8. 85: periurare timeto; ex P. III. 1. 119: adire times; met. XII. 246;

1) Jacobi l. c. p. 11.

1) Cic. top. 4.

am. III. 9. 42; a. a. II. 167; alia pauca. Illud autem verbum et similia, quae timorem exprimunt, et ab aliis vel optimis scriptoribus simili modo adhibentur, itaque verbi ‚repugnare‘ constructionem ab horum vocabulorum structura ortam esse coniciendum est. Sed quid facilius intellegi potest, quam ut epistularum nostrarum auctorem exemplis permultis, in quibus verbum simplex ‚pugnare‘ cum puro infinitivo dictum esset, adductum esse credamus, ut v. composito quoque ‚repugnari similiter uteretur? met.: 9. 351: convellere pugnat; I. 685: evincere pugnat; VII. 772; IX. 19; fast. II. 648; III. 307; rem. a. 122; am. II. 12. 25; imprimis ep. XIII. 77: vivere pugna.

Pergamus ad alteram constructionem in Ovidii carminibus inusitatam; nam legimus in ep. XVIII. 82: et nunquam placidas esse precarer aquas', ubi verbum ‚precor‘ accusativus cum inf. consequitur, cum tamen aliis fere omnibus locis hoc verbum cum ‚ut‘ vel ‚ne‘ vel cum coniunctivo sine coniunctione iunctum videamus.

Similiter atque in ep. XVIII. 82 verbum ‚precor‘ alibi ter legitur: ex P. I. 10. 29; delicias illi precor has contingere; IV. 6. 21; ep. V. 158: et tua, quod superest temporis esse precor; quo loco non accusativus cum infinitivo sed merus infinitivus positus est, qua in re offendere non possumus, cum et alia ‚petendi‘ verba aequo modo ab Ovidio usurpentur, exempli causa in ep., de qua agimus, XVI. 109: ut tamen optarem fieri tua Troica coniunx'. Hoc igitur loco remoto duo restant in epistulis ex P. Itaque nonne verisimillimum est, Ovidium in heroidum ep. hanc constructionem usurpare non potuisse, — nam Riesii aliorumque sententiam plane confutavi — cum demum in carminibus, quae ab eo sene et exule composita sunt, haec licentia, perraro quidem pro legitimis constructionibus locum habeat? – Ut finem quaestionis faciam pauca disserere mihi liceat de iis constructionibus et elocutionibus, quae Ovidianae quidem sunt, sed perraro inveniuntur in carminibus, in ep. autem ceteris desiderantur.

Primum animadvertas ‚arte laboratae naves', in ep. XVIII. 183. Eandem verbi ‚laborare' structuram reperies in: met. III. 158: antrum arte laboratum nulla', cuius versus cum nostro similitudo haud quemquam fugere potest. Ep. XVI. 125 ‚contentum esse' nominativum cum infinitivo accipit: ‚contenta est oculis hominum mea forma probari', cum in aliis · exemplis, ut met. I. 461: esto contentus amores-indagare', ib. II. 638, tr. I. 10. 5. infinitivus activi legatur.

Ep. XVIII. 197: stamina de digitis cecidere sopore remissis' verbum ‚cadere' cum praepositione ‚de' coniungitur, similiter atque in ep. XIV. 68: deque meis oculis in tua membra cadunt'; met. II, 321, V. 633. Alibi ‚cadere' cum adiectivo poni solet, ut est am. I. 7. 23; rem. a. 667; met. IV. 229; V. 399; VII. 586; XI. 516; XIV. 350; fast. V. 359. Tum ‚cadere' cum praepositione ‚ab' iunctum videmus: fast. II. 20, cum ‚ex' met. V. 634.

In eiusdem epistulae v. 144: aut etiam totis classibus esse trucem' vox ‚trux' cum dativo iuncta est, quod nonnisi in ep. ex P. IV. 6. 32. occurrit.

Ep. XVI. 37: Hoc quoque enim dubito' locutio ‚hoc dubito' duobus tantum aliis locis reperitur: met. VI. 194, tr. II. 331.

Ep. XVIII. 201: quem postquam bibulis inlisit fluctus harenis' verbum ‚illidere' cum dativo consociatum praeterea legitur in met. tantum libro V. 121 et XII. 250.

Participium ‚roratus' in ep. XVIII. 124: mersaque roratis nata fleatur aquis' adiective positum in carminibus posterioribus iterum legimus: met. IV. 480 roratis aquis, fast. III. 357 rorata pruina, ib. IV. 728 roratas aquas, ex P. II. 1. 36. r. rosis.

Ep. XVI. 116: tres tibi se nudas exhibuere deae. ‚se exhibere' reflexive usurpatum in aliis Ovidii carminibus nusquam legitur.

‚Invitare' aliquid, ut sit ‚incitare ad aliquid' praeter-

ep. XVI. 183: si non invitant omnia culpam' exstat met. XI. 604: unda invitat somnos.

,Tenor vitae' in ep. XVI. 15: dumque tenor vitae sit sine labe meae' effectum esse videtur ep. XVIII. 112: vitae nostrae qui fuit ante tenor'. Ceterum vox ,tenor' cum substantivi genetivo apud Ovidium non legitur, sed quinquies per se positum: tr. III. 1. 59; ex P. IV. 9. 29; I. 10, 6; a. a. II. 729; ep. Sap. 59.

In ep. XVIII. 180: et quotiens grave fit puppibus ire' quamquam offensionis nihil habet constructio, tamen compositio ,grave fit' pro qua aliis locis ,grave est' positum est, inusitata est; conferas velim: am. II. 4. 6: ferre grave est; idem tr. IV. 8. 4; III. 3. 75; ex P. IV. 10. 13.

Haec sunt quae de usu casuum et infinitivi mihi dicenda erant; sequitur, ut pauca dicam de coniunctionibus, quarum tamen usus ab Ovidii consuetudine in nostris epistulis observata non ita multum abhorret, sed coniunctionum cumulatio indicat, epistularum XVI et XVIII. scriptorem, quae Ovidii propria et singularia sunt, immodice et effusius in usum suum convertisse: qua re haec carmina Ovidii non esse dilucide apparet. Atque notum est, Ovidium pro cuniunctionibus ,ne' vel ,neve' plus uno loco adhibuisse coniunctiones simpliciter copulativas ,non' vel ,nec'; ab ea igitur lege distant in ep. indubitatis[1]: ,nec' pro ,neve': ep. IV. 129; V. 87, 99; IV. 157; in dubiis III. 91; VIII 23. Multo plura exempla sunt in his duabus epistulis: ,nec' pro ,neve' in ep. XVI. ter; v. 114: nec habe; 129: nec suscense; 170: nec mirare; in ep. XVIII bis v. 68: nec careant; 203/204 nec vide nec crede; ,non' pro ,ne' positum in ep. XVI. 164: sed tu non adeo cuncta licere puta'; at ,neve' ipsum occurrit XVI. 112: neve mihi noce.

Adverbium ,forsan' ep. XVI. 264: haec mora sit voto forsan amica tuo', coniunctivo praesentis adiungitur, qua cum structura duo tantum exempla in trist. libris faciunt:

1) Tolkiehn p. 105.

tr. I. 7. 9: subeat tibi dicere forsan; II. 331: forsan sim. Sed his quoque omissis notatu dignum est, ‚forsan‘ pro ‚forsitan‘ legi bis in tristium libris: I. 1. 35; V. 5. 4; semel in ep. XIX. 168, quae Ovidio non est; ‚forsan' absolute positum est in tr. III. 5. 4.

‚Sed nec‘, ut sit ‚nec tamen‘ Jacobi[1]) in epistula tantum ex P. I. 1. 19: nec vos hoc vultis, sed nec prohibere potestis' legi dicit. Qua in re fugisse eum apparet versum 233 ep. XVI: tale nihil timeo, sed nec Medea timebat'. Eodem fere sensu ‚sed non, in ep. XVIII. v. 147: sed non a tibi suspecto ducit Ulixe genus' intellegi potest. Adde quod ipsum ‚nec tamen‘ in ep. XVI. 135: nec tamen irascor‘ legitur. — Postremo cuniunctiones inter se iunctas ‚nisi si‘ in ep. XVI. 151: nisi si desistere mavis‘ frustra quaeras in prioris aetatis carminibus, inveniuntur in met. V. 20; X. 200; XIV. 177, 561.

Addo quaedam de collocatione particularum. Atque primus M. Hauptius[2]) animadvertit, in posterioribus epistulis et carminibus ab Ovidio exsule scriptis particulam ‚et‘ post suum vocabulum persaepe positam esse. ‚Et‘ secundo loco exstat in ep. ex P. sexies, in trist. quinquies, fast. tredecies, at multo rarius in carminibus iuvenilibus atque novies in am., quinquies in a. a., semel in rem. a., denique in epistulis locis his: ep. I. 32: pingit et exiguo; II. 67: inter et; IX. 118: vidit et; XI. 16: possidet et. Exempla quae omisit Hauptius, Tolkiehnus[3]) affert: XIII. 143 dabat et; atque in ep. XVIII. sola quattuor huius rei exempla inveniuntur: v. 110 cogit et: 114: incitat et; 151: sternuit et; 160: sternet et. Ac iure magno exemplorum numero in ep. XVIII offendis, qui pro rata parte ne ei quidem convenit, qui est in trist. libris vel in epistulis ex P. — Similiter alias particulas Ovidius interdum post suum verbum collocat et

1) Jacobi p. 19.
1) obs. crit. p. 22.
1) p. 106.

Tolkiehno [1]) praecedente, qui huius modi exempla ex epistulis quattuordecim prioribus conquisivit, epistularum XVI et XVIII locos investigavi. Atque primum particula ,que' in ep. XVI 84: non satis occultis erubuique notis' a suo loco remota est, quae res cum in aliis quoque epistulis reperiatur, mira non videtur, nisi hac re offendaris, quod in illo versu 84 quarto demum loco ,que' exstat, omnibus autem, ni fallor, aliis locis secundo vel tertio. Exempla haec sunt: ep. XI. 40: attulit audaci supposuitque manu; 84: in solis destituique locis'. Praeterea ,que' postpositum legimus in ep. III. 106; VIII. 108, XII. 14, aliis.

,Nam' secundo loco positum videmus in ep. XVIII. 151: posito nam scribimus illo'.

,Ita' item in ep. XVIII. 7. ut corpus, teneris ita mens infirma puellis'. — ,Sed' in ep. XVIII. 72: nocte sed hesterna; ib. 109: omnia sed vereor'. ,Sic' in ep. XVI. 110: invitam sic me nec Menelaus habet; ib. 157: aut mihi sic visum est'. ,Sed tamen' locum quartum tenent: ep. XVI. 184: nescio quo tardor sed tamen ipsa metu'. ,Cur' post duo verba collocatum: XVIII. 74: tam bona cur periit; ib. 158: ponuntur medio cur mea verba toro'. — ,An' secundo loco legitur: ep. XVI. 100: ,oculos an'. — ,Tamen' item: ep. XVIII. 57: forsitan invitus, mecum tamen. ,Num' quarto loco positum est: XVI. 230: pulsa est Aesonia num minus illa domo'. ,Utinam' tertio loco: ep. XVIII. 171: vel pudor hic utinam'. — ,Nec' item: ep. XVI. 110: invitam sic me nec Menelaus habet; cf. ,sic'.

Transeamus ad coniunctiones! ,Quamvis' secundum locum occupat: ep. XVI. 7: nec tibi diversa quamvis e gente venires. Item ,ut' ,atque ter in ep. XVI., semel in XVIII: XVI. 9: esset ut; ib. 33: Thesea paenituit, Paris ut; 53: Jupiter ut; ep. XVIII. 75: protinus ut. — ,Ne' in ep. XVI. 175: tempora ne; XVIII. 99: metuo, patria ne. Eadem coniunctio post duo vocabula invenitur: ep. XVIII. 96: quam similis vento ne tuus erret amor. ,Cum' quarto

1) p. 160.

loco legitur: XVI. 1: nunc oculos tua cum. ‚Si‘ secundo loco: ep XVI. 245: nec dubitem quin te si prosequar; tertio: ep. XVIII. 103: in tua si veniunt. ‚Quoniam‘ secundo loco: XVIII. 209: nanti quoniam‘. ‚Quod‘ item: ep. XVIII. 45: non nostra quod oscula curet. ‚Forsan‘ vel quinto loco exstat: ep. XVI. 264: haec mora sit voto forsan amica tuo.

Itaque omnes fere, ut vidimus ‚particulae, adverbia, coniunctiones a loco, quem pedestris oratio iis adsignat, remotae sunt, perrara exempla sunt, quae illas voces suo loco positas praebent. Iterum igitur cognoscimus, Ovidii incitatorem modum excessisse. Quod ut melius planiusque perspiciatur, vocabula, locutiones, structuras quibus nostrarum epistularum auctor a cotidiano sermonis usu abhorret vel quae certe depravata et aliquatenus detorta ab Ovidio mutuatus est, pronuntio. Qua in re primum aliquid offensionis habet locutio: ‚fata petere‘, quae legitur: ep. XVIII. 119: iamdudum pecca, si mea fata petis‘. Eadem vocabula alibi non occurrunt, nisi in ep. Sapph. 220[1]): ‚ut mihi Leucadiae fata petantur aquae‘, quae tamen locutio adeo displicebat editoribus et interpretibus Ovidii, ut iam Heinsius hoc genus dicendi Ovidianum non esse iudicaret et Bentleius totum distichon eam ob causam reiceret; Baehrensius ‚cura petatur‘ maluit. Atque re vera nullum huius modi exemplum vel apud Ovidium vel apud alium scriptorem exstat. Addo Forcellini verba sub v. fatum: ‚cum mortem significat, de illa intellegitur, quae naturae lege cuique obvenit, et violentae et inopinatae opponitur‘. Huic tamen sententiae adversari videtur locus ille her. XVIII 118‘. Quid ita? Animadvertas quaeso fast. III. 858: ‚et iuvenis Phrixi funera sorte peti‘. Itaque verisimile est imitatorem hunc fastorum locum secutum metri causa paululum eum immutasse, praesertim cum Helles et Phrixi fata in ep.

1) cf. de Vriesius: ep. Sapphus ad Phaonem apparatu critico instructa, commentario illustrata et Ovidio vindicata. diss. Lugd. Bat. 1885.

XVIII. non uno loco narrata sint, ut in v. 123, 163! Sed utut id est, haec locutio Ovidii non est. — Inusitatum quoque est ‚susurrare de aliquo‘ sensu transitivo usurpatum, ep. XVIII. 19: aut ego cum cara de te nutrice susurro‘; locis enim ceteris hoc verbum alia ratione dictum est; met. III. 643: aure susurrat. Neque ab ullo Romanorum poëta ‚sesurrare de aliquo‘ dictum reperies. — Tum levi permutatione usus nostrarum ep. scriptor dicit: ep. XVI. 207: non ita contemno volucris praeconia formae‘, ubi vox ‚praeconia‘ cum genetivo ‚famae‘ ex am. II. 12. 9,. a. a. III. 535; I. 623 ‚praeconia formae, fluxisse videtur. — In ep. IX. 83, qui versus a Merkelio obelo instructus est, legitur: eximiis pompis praeconia summa triumphi‘.

In ep. XVI. 252: a verbis facies dissidet ista tuis‘ verbum ‚dissidere‘ ex P. I. 6. effectum esse videtur: nec minus a studiis dissidet illa tuis’; eadem constructio reperitur bis, in fast. libro III. 662; nec a veri dissidet illa fide; ep. VII. 36: matris ab ingenio dissidet illa suae‘.

Ep. XVI. 183: et peream, si non invitant omnia culpam‘: exclamatio ‚peream‘ per se posita alibi nusquam apud Ovidium legitur, nisi ex P. III. 5. 45: ipse quidem Getico peream violatus ab arcu‘ quod tamen a nostro loco admodum discrepat. — ‚Suspicio‘ ut sit ‚venerari‘ magni aestimare‘ sola in ep. XVI. 59: quos ego suspicio‘ occurrit. Nam cetera carminum exempla ‚suspicere‘ notione communi ‚oculos attollere‘ ostendunt, ut met. XV. 333; fast. III. 450; met. IX. 506. — Ep. XVI. 16: nec sedeo duris torva superciliis‘ non ex suo ingenio hausisse videtur poëta, sed potius ex aliis Ovidii locutionibus similibus sibi finxit: met. II. 270: cum torvo vultu‘, ib V. 92: tuens oculis torvis; 241: torva lumina; VI. 34: aspicit hanc torvis (scil. vultibus); XIII. 542: sustulit torvos vultus; XV. 586: torvam faciem; et nobile illud: a. a. II. 453; quem torvis spectet ocellis; ep. II. 69: torvusque Procrustes. Mirum quoque videtur, quod vox ‚supercilia‘ quae apud Ovidium ipsum octies tantum legitur, in epistulis nusquam, in eadem ep. XVI. iterum

posita est v. 82: signa superciliis paene loquente dari', quo versu eadem sententia expressa est atque a. a. l. 500: multa supercilies multa loquare notis; am. I. 4. 19: verba superciliis sine voce loquentia dicam; am II. 5. 15: multa supercilio vidi vibrante loquentes'.

Respiciamus iam locutiones Ovidio familiarissimas et videamus quae ex his et quam saepe in nostris epistulis occurrant [1]). Atque primum, ut hoc loco locutiones, quae certis versuum locis leguntur, commemorem, -- in pedibus versus prioris reperimus: ,da veniam' in ep. XVI. 225; XVIII. 4, 149. Eadem locutio in ceteris epistulis bis tantum admissa est: ep. IV. 156; VII. 103; tum a. a. II. 38, fast. IV. 755; tr. V. 1. 65. ex P. I. 7, 22; IV. 2. 23; II. 7, 7; III. 9. 55; IV. 15. 32; met. XI. 132; ,dant veniam': fast. II. 105, 829. Itaque haec enuntiatio in nostris ep. saepius pro rata parte occurrit, quam in aliis carminibus. ,I nunc, versum incipit: ep. XVI. 57; in indubitatis ep. sola in ep. IV. 127; in dubiis: III. 26; IX. 105; XII. 204; tum am. I. 7. 35; a. a. II. 222, 635; ex P. I. 3. 61. Accedit quod eadem versus conformatio atque in ep. XVI. 57: i nunc et . . . . refer' legitur: ex P. I. 3. 61. — ,Ei mihi' in omnibus carminibus legitur vicies novies, octies in ep. dubiis, in versus initio. At in ep. XVI. 246: ,ei mihi' medio in versu contra constantem Ovidii usum positum est. — ,Di melius' ep. XVI. 30: in aliis epistulis non amplius quam semel: III. 125, ceteroquin am II. 7. 19; a. a. II. 388; r. a. 423, 439, 476 legitur. — ,Forsitan' in omnibus Ovidii versibus occurrit quadragies bis in versus initio, vicies semel aliis versus partibus. Atque in dubiis ep. initium versus obtinet sexies, e quo numero tria exempla pertinent ad ep. XVIII. 57, 123, 165, aliis autem versus locis in iisdem epistulis ,forsitan' exstat ter, et in ep. XVI. 264 ,forsan'.

Ep. XVI. 137: ,crede mihi' apud Ovidium sedecies versum incipit, atque semel in ep. indubitatis: ep. X. 63;

---

1) cf. W. Zingerle, Unters. p. 64.

novies alio loco positum est. In dubiis ep. haec locutio bis alia versus parte invenitur: XV. 68 et in nostra ep. XVI. 137: ferrea ‚crede mihi! non sum‘ — ‚Nescio‘ cum insequenti pronomine monosyllabo quindecies facit dactylum primum, vel, ut de epistulis, quae certo Ovidii sunt, dicam, ter: ep. V. 128: nescio quis; VII. 124: nescio quem; XI. 26 idem; tredecies facit dactylum secundum. Sed in epistulis ab Ovidio abiudicandis haec copulatio primum componit dactylum quinquies, in his ter in ep. XVI. et XVIII: XVI. 184: nescio quo, 226: idem; XVIII. 192: nescio quae; in dubiis ep ‚nescio‘ quinquies complet dactylum secundum, exstat quoque in ep. XVIII. 102: nescio qua; quattuor igitur exempla e decem pertinent ad epistulas, de quibus agitur. — ‚Utinam‘ versum inchoat vicies octies, alium versus locum occupat quattuordecies, atque quinquies in ep. indubitatis: VI. 62, VII. 49, 89, 181; X. 99. Aliter res se habet in dubiis ep., in quibus hoc adverbium ter usurpatum est in initio versus: XV. 134, XIX. 176: atque utinam; in ep. XVIII. 115: o utinam; aliis versus partibus ‚utinam‘ traditum est in ep. dubiis quinquies atque bis in nostris: XVI. 185, XVIII. 171.

Ad alia pergamus vocabula vel locutiones quae certum versus pedem explent. Atque persaepe praepositio ‚sine‘ ab Ovidio ut thesin quartam hexametri efficiat, adhibetur; invenitur enim septuagies bis, atque in dubiis ep. undecies vel iam quater in sola ep. XVI.: 17 sine crimine; 69 sine labe; 95 sine crimine, 179 sine coniuge; eadem compositio ‚sine crimine‘ bis, semel quoque ‚sine‘ alia versus parte exstat: ep. XVII. 14: dumque tenor vitae sit sine labe meae. Vides igitur copulationem ‚sine labe‘ item bis legi ‚cum tamen in aliis ep. et dubiis et indubitatis non umquam occurrat.

Deinde adiectiva in — bilis exeuntia ab Ovidio saepe eliguntur ad hexametri pedem quintum efficiendum. Qui usus in ep. indubitatis, ut alia carmina omittam, sexies observatur, novies in ep. dubiis, atque in ep. XVI. 135: nobile; XVIII. 71: tractabile.

Saepissime substantiva in ‚men' desinentia quintum hexametri pedem explent, ut fit sexagies quinquies in omnibus carminibus, atque vicies semel in ep. indubitatis, perraro contra in dubiis, quae tria tantum exhibent exempla, e quibus unum in ep. XVI. 16: velamina; tum ep. XV. 183, 291.

Aptissimi ad quintum hexametri pedem componendum videntur superlativi in — issimus, — illimus, — errimus, quales exstant in epistulis, quae Ovidii sunt, quattuor, in dubiis decem atque duo in nostris: ep. XVI. 71: acceptissima semper; XVIII. 131: laudatissima forma.

Hexametri exitus in imperativi formam in — to in genuinis epistulis non reperitur, at sexies in dubiis, bis in nostris: XVI. 255 iubeto; XVIII. 78. esto.

In eadem hexametri parte formae gerundii in — andus, endus, andi, endi cum ceteris casibus ab Ovidio saepe adhibentur. Inter decem huius modi locos epistularum dubiarum duo leguntur in ep. XVIII. 9: colendo; 117 dolendo. — In pentametri parte posteriore substantivum ‚causa' persaepe apud Ovidium reperitur et cum genetivo alius substantivi in ‚or' coniunctum et a suo vocabulo seiunctum; quae quidem consuetudo tricies octies omnino occurrit, ter in ep. indubitatis, septies in dubiis, in ep. XVI. ‚causa' cum genetivo substantivi in ‚or' hoc versus loco positum est v. 216: causa timoris; alibi sola in ep. I. 16. similiter dictum est: causa timoris; accedit quod ‚causa' a suo vocabulo seiunctum in eadem ep. XVI. 68 legitur. — Eandem pentametri partem occupant substantiva in ‚tas', quae quinque syllabas continent. Exempla sunt in omnibus carminibus quadraginta novem, novem in ep. dubiis, duo in ep. XVI. 52: nobilitate sua est; 176: commoditate viri.

Pari modo adiectiva in — osus apud Ovidium quinquagies sexies posita sunt, quater in ep. dubiis, semel in ep. XVI. 126: invidiosa mihi. Comparativi quinque syllabis compositi similiter adhibentur quinquagies ter, in ep. dubiis quinquies, semel in ep. XVI. 222: ulteriora feram. —

Infinitivi perfecti activi, qui quinque syllabis constant, eosdem pentametri pedes explent. Exstant in ep. Ovidianis exempla decem, in dubiis triginta tria, in ep. autem sola XVI. septem: 32. paenituisse patet; 98. abstinuisse bonis; 120. subposuisse tuo; 134. praeposuisse bonis; 196. destituisse tuam; 240. praemonuisse ferunt; accedit in ep. XVIII. 138. composuisse tuo. Neque aliter participia futuri passivi quinque syllabis composita adhibita sunt, quae apud Ovidium octogies semel pentametri quos dixi pedes conformant; quo ex numero octo exempla pertinent ad ep. indubitatas, octo ad dubias; atque in ep. XVI. 186 legimus: excutienda fuit; XVIII. 130. impediendus amor [1]).

Adiectivum ,concitus' casu recto generis feminini ab Ovidio [2]) ut quintum hexametri pedem efficiat, usurpatur: in ep. XVIII. 21: concita vento', quod simile in epistulis et in omnibus carminibus amatoriis uno loco am I. 8. 7. excepto non habet. Sed ,concita' hac versus parte exstat in met. libris sexies, in trist semel, I. 10. 11, ubi eadem sententia atque in ep. XVI. expressa sic legitur: et iniquis concita ventis'. — Similiter adiectivum ,celer' haud raro ita ponitur ut in disticho secundi dactylo thesin et tertii pedis arsin occupet. Haec A. Zingerlius [3]) collegit exempla: in trist. et fast. quina, ex P. tria, a. a., r. a., Ibide singula, in her. indubitatis tantummodo in ep. IV. 42, in dubiis XV. 112, 130; XVIII. 176: impositam celeri Phasida puppe tulit. — Gratissimus Ovidio versuum exitus est in verba impersonalia ,pudet, piget, paenitet, taedet, decet, iuvat'. Cuius rei exempla A. Zingerlius [4]) notavit in fast. quinque, ex P. duo, am. quattuor, a. a. tria, tr. unum, her. Ovidianis sola in ep. II. 140 iuvat; in dubiis nonnisi in ep. XVIII. 64: quae fecisse iuvat, facta referre pudet'' quo loco insuper mirandum est, duo verba imper-

1) cf.: A. Zing. Ovid u. s. Vorg. I. p. 11.
2) l. c. kl. phil. Abh. II. p. 52.
3) kl. phil. Abh. p. 66.
4) metr. U. p. 23; Lehrs Horatius p. 238, 239.

sonalia in eodem versu sibi opponi, quod praeterea semel factum est: in am. III. 114: et quae non puduit ferre, tulisse pudet.

Illud adiciendum videtur, quod Eschenburgius de vocum monosyllabarum copia, quae in posterioribus maxime epistulis invenitur, recte observavit. In ep. igitur XVI. octoginta monosyllaba copiosius acervari repperit, numerum vere ingentem! si considerare velis in omnibus illis heroidibus quae a Lachmanno Ovidio abiudicatae sunt, quae versus 2172 continent, huius modi exempla exstare quadraginta tria. Ceterum pro certo habendum est, in sex posterioribus epistulis maximam monosyllaborum copiam exstare, in ep. enim XVIII. triginta quattuor, ep. XV. 50. XVII. 37, XIX. 72 — cum aliae epistulae plus triginta (ep. XII) non contineant monosyllaba. – Ex his quae accuratius paullo tractavi, dilucide apparet, nostrarum epistularum auctorem imitatorem esse Ovidianum, quippe qui summo studio id egerit, ut quae propria sunt Ovidii sermoni suis carminibus intexeret! Quod ut planius perspiciatur alia huius rei testimonia contuli. Quanta enim ingenii egestate ille fuerit, et in versibus paugendis et in sermone ornando quanta sit inopia verborum, et versuum conclusionum color quam sit deformis, iam ex hac re facile intellegitur, quod saepissime eodem vocabulo versus conclusi sunt. Postrema enim vox versus in ep. XVI. verbi ‚habere' formis dissyllabis continetur; quinquies in pentametris [1]); semel in hexametro 241: habetque. Claudunt porro pentametrum vocis ‚aqua' formae dissyllabae in ep. XVIII. novies [2]), semel exstat ‚aquarum' ep. XVIII. 181. In eadem epistula ‚mora' quinquies invenitur in pentametri exitu: 38. 210: moras; 8. moram; 10. mora; 116 morae. — ‚Unda' excepto genetivo pluralis hexametrum finit quinquies in ep. XVIII 83:

---

1) XVI. 100 habes; 108. 110: habet; 114 habe; XVIII. 192: habet.

2) XVIII. 82: aquas: 32. 128. aqua; 48. 90. 124. 150. 164. 168. aquis XVI. 74. aquas; 190 aqua.

undae; 161, 189, 199: undas; 207: undis. ‚Via' item quinquies: ep. XVIII. 36 viae; 52. 160. 208: vias; 74 via est, et in ep. XVI. 146 viam, 156 vias. Tum pentameter exit in 'amor' in ep. XVI. ter: 36. 204. 246; in ep. XVIII. quater: 16. 104. 130. 172; in ‚amo' ep. XVI. 98, ep. XVIII. 4 et 18; formae ‚ama' et ‚amem' singulae exstant ep. XVI. 254. 136. Conferas quoque: ep. XVI. 35 amanti; ep. XVIII. 109: amavit, 67. amantes, 93 amemur, 171 amare, 197 amoris' in versus fine positas. Praeterea verba ex eadem stirpe derivata aliis versuum partibus in ep. XVI. leguntur sexies: 73. amas, 112. 137. amare, 191. amor, 96. 199. amore; ep. XVIII. quater: 16. amare, 26. amantia, 104. amoris, 179. amas.

Neque praetermittendum est in ep. XVI. finem hexametri effici auxiliari verbo ‚est' septies: 41. pudica est, 59. magna est, 121. ficta est, 169. damno est, 193. virgo est, 243. vera est, 263. herba est; accedunt in exitu pentametri: XVI. 52. sua est, 64. tua est; XVIII. 40. meo est, 74. via est. Tum conferas quaeso versus pronominibus personalibus et verbi ‚esse' formis conclusos atque reperies in ep. XVI. prioris ordinis versus 32, vel si alia pronomina addere velis, 40; posterioris ordinis v. 32 vel si in eanden causam voces verba cum ‚esse' composita, triginta sex. Ut rem conficiam, aliarum vocum frequentiam commemoro. Invenitur enim vox ‚crimen' sexies in ep. XVI: 17, 95: sine crimine; 23. 218. 231. 248: crimen; ep. XVIII. ter: 105 crimine, 112. crimina, 132. criminis; ‚aequor' sexies in ep. XVIII: 22. aequora, 86: aequor, 126. aequoream, 160. aequoreas, 160. 183. aequor; ‚causa' in ep. XVI. sexies: 68. 73. 20. 156. 216. causa, 244. causam, ep. XVIII. ter: 20. 116. causa, 97. causam. Denique ‚gloria', quae vox in omnibus Ovidii carminibus tricies quinquies legitur, in ep. XVI et XVIII exstat quinquies, quater in ep. XVI. 2. 59. 169. 243. semel in altera 146.

Iam vero versuum fines iterum examinantes, epistularum XVI et XVIII versus fere omnes iisdem vocabulis, quae

in aliis carminibus reperiuntur, terminari intellegemus. Quae concinnitates si singulariter et rarius exstarent dispositae, offensionis nihil haberent, tanta autem copia suspiciones quam gravissimas iniciunt. Ne longus sim, praeter pauca ex aliis carminibus desumpta exempla imprimis eos exitus qui ex ep. genuinis translati esse videntur propono. Nobilissima eius modi exempla haec sunt[1]):

ep. XVI. 40: verbaque dicuntur vestra carere fide. ep. II. 26: vela queror reditu, verba carere fide. XVI. 108: spes tua lenta fuit; II. 9: spes quoque lenta fuit. — XVI. 242: parta per arbitrium bina tropaea tuum; IV. 66: bina tropaea domo. cf. IX. 104. — XVI. 229: omnia Medeae fallax promisit Jason; a. a. III. 33: fallax dimisit Jason. XVI. 220: terra precor vultus obruat unda meos. VII. 76: ereptos obruet unda deos. cf. trist. I. 243. 106; quod ad sententiam attinet, conferas etiam. ep. III. 63: devorer ante precor subito telluris hiatu' et ep. VI. 144: hiscere nempe tibi terra roganda fuit.

XVI. 115: at Venus hoc pacta est et in altae vallibus Idae; a. a. I. 289: forte sub umbrosis nemosis vallibus Idae; eundem sensum reperies. ep V. 35: Qua Venus et Juno sumptisque decentior annis — venit in arbitrium nuda Minerva tuum. — XVI. 176: simplicis utamur commoditate viri; a. a. II. 373: usa esthumani commodita viri; cf. am. III. 14. 30; ep. XV. 310, 314.

XVI. 114: nec spolium turpe nostri pudoris habe. fast. V. 594: pignora iam nostri nulla pudoris habes'. Sententia repetitur: ep. V. 140: ille meae spolium virginitatis habet.

XVI. 102: nec tibi plus cordis sed minus oris adest; tr. I. 113: si satis oris habebis; am. II. 1. 12: et satis oris

---

1) cf. V. Loers. ed. Col. I. praef; Eschenb. Unters. et progr. 1886; W. Zingerle, Unters. zur Echthfrage. A. Zingerle: Ovid u. s. V. I. II; kl. phil. Abhdl.

erat. — XVI. 21: an quia vim nobis Neptunius attulit heros; ep. IV. 109: diu Neptunius heros.

XVI. 10: qui sic intrabas, hospes an hostis eras? fast. II. 787: hostis ut hospes init penetralia. .

XVI. 48: error qui facti crimen obumbret, erit; ex P. III. 3. 75: tu licet erroris sub imagine crimen obumbret. — XVI. 191: certus in hospitibus non est amor, errat ut ipsi; ib. 196: quam similis vento ne tuus erret amor; cf. a. a. III. 436: errat et in nulla sede moratur amor; ib. II. 339: dum novus errat amor. — XVI. 22: rapta semel videor bis quoque digna rapi? cf. ep. V. 132: quae totiens rapta est praebuit ipsa rapi. — In ep. XVIII. 100: dicar Abydeno Thressa puella toro; ep. IV. 2. mittit Amazonio Cressa puella viro; a. a. I. 84: raptaque sit Phrygio Graia puella viro; cf. fast. II. 356.

XVIII. 141: latoque mari tua proelia misce; met. V. 156: renovataque proelia miscet; iisdem verbis versum concludit Lucretius[1]) bis, Vergilius[2]) bis.

XVIII. 48: lentaque dimotis bracchia iactat aquis cf. ex P. I. 6. 34: naufragus in mediis bracchia iactat aquis; tr. IV. 1. 10; ex P. III. 7. 28. — XVIII. 190. inicias umeris bracchia lassa meis: ep. XVII. 96: atque oculis iacto bracchia nostra tuis; ib. 58.

XVIII. 175: ut semel intravit Colchos Pegaseus Jason: met. VIII. 349: auctor telis Pegaseus Jason; fast. I. 491: passus idem Tydeus et idem Pegaseus Jason; ep. XV. 345. — XVIII. 40. nil nisi Leandri nomen in ore meo est: ex P. III. 5. 44: nunc quoque Nasonis nomen in ore tuo est; fast. VI. 528: estque frequens, Ino, nomen in ore tuum; cf. tr. III. 3. 20. — XVIII. 138: molle latus lateri composuisse tuo: ep. II. 58: et lateri conseruisse latus. — XVIII. 26. pollice quas tremulo conscia siccat anus; eandem sententiam legimus XVI. 22, V. 132. — XVIII. 3: longa

1) A. Zing. II. p. 30. Lucr. IV. 1006, V. 439.

2) Verg. X. 23; georg. III. 220.

mora est nobis, quae gaudia differt; am. II. 5. 29: exclamo quo nunc mea gaudia differs; ib. III. 6. 87: quid mutua differs gaudia; met. IV. 350: vix iam sua gaudia differt; ib. VI. 514.

XVIII. 158: ponuntur medio cur mea membra toro; am. II. 10. 18: et medio laxe ponere membra toro; ib. III. 7. 78: invitum nostro ponere membra toro; ex P. III. 3. 38: lauguida membra toro.

XVIII. 181: o iuvenis, tumidarum victor aquarum: met. XIV. 4: tumidarum victor aquarum.

XVIII. 209: interea, quoniam nanti freta pervia non sunt: m. XII. 478: loco pervia non sunt.

XVIII. 14: diluitur posito serior hora mero: a. a. I. 238: cura fugit multo diluiturque mero; a. a. III. 350: et moveat posito bracchia iussa mero; fast. II. 740: inveniunt posito pervigilare mero.

XVIII. 197: stamina de digitus cecidere sopore remissis: met. IV. 229: et colus et fusus digitis cecidere remissis. — XVIII. 13: nunc piscem ducitis hamo: met. III. 386: et hamo — decipere et calamo salientes ducere pisces. — XVIII. 201: quem postquam bibulis inlisit fluctus harenis: met. XIII. 901: et aut bibula sine vestibus errat harena.

XVIII. 69: cur ego tot viduas exegi frigida noctes: ep. I. 3: non ego deserto iacuissem frigida lecto; a a. III. 70; am. III. 5. 42. —

Alia multa quae ad eandem rem spectant, praeterire libet; restat, ut verborum sententiarumque rationem atque colorem recensens, nostras epistulas imitatoris cuiusdam esse ostendam. Nam omnes fere sententias, locutiones epistularum XVI. et XVIII. ex Ovidii carminibus desumptas esse elucebit. Atque profecto hunc Ovidii imitatorem ne unam quidem sententiam suo ingenio adiunxisse, sed quae iam in aliis carminibus dicta erant vel iisdem verbis vel, si aliis, certe servato sensu repetisse contendere audeo. Idem igitur

argumentum, quod Loersius [1]), ut Ovidium omnium epistularum auctorem esse demonstraret, protulit hisque verbis pronuntiavit: ‚quam callide praeterea Paris Ovidianus re exprimit artem amatoriam' non modo non repugnat sententiae, sed eam etiam confirmat. Nam illum poëtam imprimis artis amatoriae, maxime libros I. et II. ob oculos habuisse, verisimillimum est. Perlegas modo a a. II. 559—572; hic habes totum epistulae XVI argumentum, easdem sententias, eadem fere vocabula et locutiones. Comparandi sunt versus hi: a. a. II. 359: dum Menelaus abest, ep. XVI. 154: quod Menelaus abest. — a. a. II. 362: isdem sub tectis hospes et uxor erant; ep. XVI. 82: et tu me miseram! blandus et una domus. — ib. 359: Helena, ne sola iaceret; ep. 179: et tu sine coniuge dormis. — ib. 367: cogis adulterium dando tempusque locumque; ep. 183: et peream, si non invitant omnia culpam — ib. 369: vir abest; ep. 165: et meus hinc vir abest. — ib. et adest non rusticus hospes; ex quo fluxisse videtur ‚rustica' in v. 12 et 13. — ib. 365: nil Helena peccat et 241: Helenen ego crimine solvo; ep. 47: nil ego, si peccem, possum nescisse, nec ullus error qui facti crimen obumbret, erit. — ib 372: usa est humani commoditate viri; ep. 176: simplicis utamur commoditate viri. — ib. 373: sed neque falvus aper media tam saevus in ira est; ep. 249: tu fore tam iusta lentum Menelaon in ira. — ib. 389: ludite, sed furto celetur culpa modesto; ep. 153: lude, sed occulte. ib. 239: dum novus errat amor; ep. 191: certus in hospitibus non est amor, errat ut ipsi. ib. 453: quem torvis specta ocellis; ep. 16: nec sedeo duris torva superciliis.

Tum iocos et lusus ab amantibus inter convivium exercitos respicias in ep. XVI. 75—89, quae res copiosius enarratur in am. I. 4, a. a. I. 500 sequ. am I. 4. 17: me specta nutusque meos vultumque loquacem excipe furtivas et refer ipsa notas verba superciliis sine voce loquentia dicam — verba leges digitis, verba notata mero. ep. XVI. 81:

1) ed. prooem. p. 48.

a! quotiens digitis, quotiens ego tecta notavi — signa supercilio paene loquente dari. —

am. I. 4. 31: . . . ego primus pocula sumam et qua tu biberis, hac ego parte bibam; a. a. I. 576: Pocula, quaque bibit parte puella, bibas.

ep. 79: modo pocula proxima nobis.

sumis, quaque bibi, tu quoque parte, bibis.

a. a. I. 672: ei mihi rusticitas, non pudor ille fuit.

ep. 13: rustica sim sane, dum non oblita pudoris. —

Illam quoque opinionem, nefario amore bellum excitari, quam legimus ep. XVI. 247: ‚an fera Centauris indicere bella coëgit Atracis Haemonios Hippodamia viros'. repetitam videmus in eodem amorum libro. I. 4. 7:

desine mirari posito quod candida vino

Altracis ambiguos traxit in arma viros'.

Adde quod legitur in am. II. 12. 191: femina silvestris Lapithas populumque biformem turpiter a posito vertit in arma mero',

Alia denique quae iam supra, cum de similibus versuum finibus verba facerem, commemoravi, ex epistulis imprimis IV et V petita esse videntur. Similitudines praebent:

ep. IV. 63: hoc quoque fatale e.:t. Placuit domus una duabus — me tua forma capit. capta parente soror; ep. XVI: 180 et 182:

Inque vicem tua me, te mea forma capit.

et tu me miseram! blandus et una domus.

ep. IV. 66: Ponite de nostra bina tropaea domo;

XVI. 242: Parta per arbitrium bina tropaea tuum.

ep. IV. 109: aberitque diu Neptunius heros;

XVI. 21: An quia vim nobis Neptunius attulit heros.

ep. IV. 143: ut tenuit domus una duos, domus una tenebit; ep. XVI. 182 . . . blandus et una domus.

ep. IV. 18: fama, velim quaeras, crimine nostra vacat: XVI. 17: fama tamen clara est et adhuc sine crimine vixi.

ep. V. 140: ille meae spolium virginitatis habet;

id quoque luctando; XVI. 27 oscula luctanti tantum modo pauca protervus abstulit; — V. 116: quid arenae semina mandas — non profecturis litora bubus aras? XVI. 139: quid bibulum curvo proscindere litus aratro — spemque sequi conor, quam locus ipse neget. — V. 132: Quae totiens rapta est, praebuit ipsa rapi; XVI. 22: rapta semel videor bis quoque digna rapi? — V. 99: nec tibi, si sapias, fidam promitte Lacaenam; XVI. 213: qui poteris, fore me, sperare fidelem? — V. 100: quae sit in amplexus tam cito versa tuos; XVI. 94: velle sub amplexus ire puella tuos — V. 102: et externo laesus amore dolet;

XVI. 96; quam cadat externo noster amore pudor. —

V. 85: et cupio fieri matrona potentis;

XVI. 109: optarem fieri tua Troica coniux.

V. 140: ille meae spolium virginitatis habet;

XVI. 114: nec spolium nostri turpe pudoris habe. —

Alia quae collegi non afferam, cum iam ex his quae demonstravi satis superque intellegi possit, epistulam XVI. ex aliorum quorundam carminum sententiis et locutionibus congestam esse. Similiter ep. XVIII, si spectamus totam dicenti rationem et sententiarum nexum et colorem ex aliis carminibus confusa esse videtur. Quorum in numero imprimis habenda est ep. I. Comparandi sunt loci hi: ep. I. 7:

non ego deserto iacuissem frigida lecto;

ep. XVIII. 69: cur ego tot viduas exegi frigida noctes.

I. 9: nec mihi quaerenti spatiosam fallere noctem lassasset viduas pendula tela manus; XVIII. 37. 55: tortaque versato ducentes stamina fuso feminea tardas fallimus arte moras.

I. 22. frigidus glacie pectus amantis erat; XVIII 192: nescio quae pavidum frigora pectus habet.

I. 57: victor abes, nec scire mihi, quae causa morandi; aut in quo lateas, ferreus orbe, licet; XVIII. 111—115: felices illas sua quas praesentia nosse.

crimina vera iubet, falsa timere vetat.

115: o utinam venias! aut ut ventusve paterve causaque sit certe femina nulla morae.

I. 59 - 63: quisquis ad haec vertit peregrinam litora. puppim — ille mihi de te multa rogatus abit. quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam traditur huic digitis charta morata meis; XVIII 29: atque rogem de te et scribam tibi siquis Abydo venerit aut, quaero, siquis Abydon eat. —

I. 71: quid timeam, ignoro, timeo tamen omnia demens; I. 12: res est sollicita plena timoris amor;

XVIII. 109: omnia sed vereor, quis enim securus amavit?

Iterum ep. IV huc pertinet, in qua varia virorum negotia et ludi iisdem paene verbis atque in epistula XVIII. describuntur v. 90: vos modo venando, modo rus geniale colendo — ponitis in varia tempora longa mora — aut fora vos retinent, aut unctae dona palaestrae — flectitis aut freno colla sequacis equi — nunc volucrem laqueo, nunc piscem ducitis hamo — diluitur posito serior hora mero — ep. IV. 79 sequ:

sive ferocis equi luctantia colla recurras
exiguo flexus minor in orbe pedes
seu lentum valido torques hastile lacerto
ora ferox in se versa lacertus habet.
sive tenens lato venabula cornea ferro
denique nostra iuvas lumina, quicquid agas'.

Conferas etiam eiusdem ep. IV. v. 9: pudor est miscendus amori — dicere quae puduit, scribere iussit amor; ep. XVIII, 173: nunc male res iunctae calor et reverentia pugnant — cf. ep. IV. 154: quid deceat non videt ullus amans.

IV. 38: est mihi per saevas impetus ire feras.

XVIII. 161: ire libet medias ipsi mihi saepe per undas.

IV. 2; mittit Amazonio Cressa puella viro.

XVIII. 100: dicar Abydenò Thressa puella toro.

Neque praetermittendum est, epistulam XVIII valde congruere cum ep. VII et XIII, e qua epistula etiam XVI nonnulla desumit, quare W. Zingerlius[1]) has epistulas tres ab eodem auctore conscriptas esse contendit.

Hic dicat forte aliquis, hac ipsa similitudine et sententiarum et locutionum nihil aliud comprobari posse, nisi epistulas XVI et XVIII omnino esse Ovidii, cum inter omnes constet, Ovidium se ipsum in carminibus imitatum esse. Sed hanc suspicionem facillime repellemus si consideraverimus, Ovidium, nullo modo suas ipsius sententias et elocutiones tam frequenter repetere potuisse quam factum est in his epistulis. Quarum similitudines maxime ob eam causam offendunt, quod in ipsis praecipue ep. antecedentibus continentur atque in certis tantum quibusdam, non in omnibus. Eodem pertinet quod versus, quos nostrarum epistularum scriptor e suo iudicio et copia inserebat, solo ex studio doctrinam imprimis mythologicam et mentis aciem, quae in sententiis utique veris intexendis observatur, ostentandi ortos esse patet.

Mythologicam doctrinam invenies: ep. XVI. 53—58:
Juppiter ut soceri proavus taceatur et omne
Tantalidae Pelopis Tyndareique decus.
dat mihi Leda Iovem cygno decepta parentem,
quae falsam gremio credula fovit avem.
I nunc et Phrygiae late primordia gentis
cumque suo Priamum Laumedonte refer'.
209—212. Quid de me poterit Sparte, quid Achaia tota
quid gentes aliae. quid tua Troia loqui?
Quid Priamus de me, Priami quid sentiet uxor
totque tui fratres Dardanidesque nurus?
229; Omnia Medeae fallax promisit Jason:
Pulsa est Aesonia num minus illa domo?
Non erat Aeetes, ad quem despecta rediret.

---

1) Unters. p. 31.

Non Idyia parens Chalciopeque soror'.
247: An fera Centauris indicere bella coëgit
Atracis Haemonios Hippodamia viros.
tu fore tam iusta, lentum Menelaon in ira
et geminos fratres Tyndareumque putas?
Ledae fabula plus uno loco narratur:
45. Matris in admisso falsa sub imagine lusae error, inest, pluma tectus adulter erat.
49. Illa bene erravit vitiumque auctore redemit, felix in culpa quo Iove dicar ego?
55. dat mihi Leda Iovem cygno decepta parentem, quae falsam gremio credula fovit avem.
Ex ep. XVIII, animadvertas velim:
123: Forsitan ad pontum mater pia venerit Helles mersaque roratis nata fleatur aquis.
130: Si neque Amymone nec laudatissima forma
criminis est Tyro fabula vana tui.
Lucidaque Alcyone Calyceque Hecataeone nata.
et nondum nexis angue Medusa comis
flavaque Laodice caeloque recepta Celaena
et quarum memini nomina lecta mihi.
175: Ut semel intravit Colchos Pegaseus Jason
impositam celeri Phasida puppe tulit:
ut semel Idaeus Lacedaemona venit adulter
cum praeda rediit protinus ille sua.
163: Nam cur huc vectis Phrixo Phrixique sorore sola dedit vastis femina nomen aquis?

Loci denique communes occurrunt hi: Ep. XVI. 39: sed quia credulitas damno solet esse puellis; 41: at peccant aliae, matronaque rara pudica est; 145: Felices, quibus usus adest! 147: ipse malo metus est; 167: fama quoque est oneri: nam quo constantius ore — laudamur vestro, iustius ille timet.

191: certus in hospitibus non est amor, errat ut ipsi
130: tarda solet magnis rebus inesse fides!
Ep. XVIII. 3: Longa mora est nobis omnis, quae

gaudia differt; 7: ut corpus, teneris ita mens infirma puellis. — 109: quis enim securus amavit? cogit et absentes plura timere locus. — 111: Felices illas sua quas praesentia nosse crimina vera iubet, facta referre vetat.

In extrema disputatione Gebhardii [1]) dissertationem praedicare non piget. Is enim de compositione, quae inter bina substantiva totidemque adiectiva exstat et de eorum in pentametro collocatione accurate disserit. Notas quas adhibet, breviter explicabo. Substantivum igitur primum designat littera ,a', adiectivum ei debitum l. b, alterum substantivum α, adiectivum β; tum linea ea verba separat, quae priorem pentametri partem occupant, ab iis quae posteriorem implent. Primum igitur forma aα/βb: ep. IX. 126: fortunam vultu fassa tegendo suam', ,sola in ep. XVI

a a α β b

252 exstat: a verbis facies dissidet ista suis'. Quod dignissimum est observatu, praesertim cum Ovidius hanc compositionem in ceteris carminibus rarissime admiserit atque bis in am. libris, ter in fast; sexies in trist; bis in ex P. libris. Sed unum ut equidem puto exemplum Gebhardium fugit, quod plurimum valet in nostram causam; in ep. enim XVIII. 146 eadem forma occurrit: gloriaque est stagno quolibet ista minor'. Tum f. bα/βa legitur tantum in ep. dubiis: IX. 116, XII. 196, XIV. 34 — et in ep. XVI. 226: nescio quo tellus me tenet ipsa modo'.

F. bα/aβ, quae in omnibus fere epistulis usque ad ep. XIV. adhibita est, in nostris epistulis exemplum non habet. F. a/βbα in aliis carminibus ter tantum posita, atque bis in ep. ex P. semel in am. libris, in ep XVIII. 94 adhibita est: flammaque non fiat frigidus illa cinis'. —

Fieri quoque potest, quod testatur Gebhardius, ut tres voces ante caesuram, una post eam locum capiant ,quod' Gebhardius inquit, ,omnium et rarissimum et pessimum est nec usquam nisi necessitate metri vel novitatis aucupio vel limae incuria effectum est'. Hac enim figura Tibulli

1) De Tibulli, Propertii, Ovidii distichis. diss. Regimont. 1870.

versus omnino carent, Propertius bis ea utitur, Ovidius ipse in am. libris non admittit, perraro in ceteris atque semel in a. a, ter in rem. am; quater in fastis, sexies in trist., item in ep. ex P., in epistulis denique unum exemplum: ep. IX. 70 Gebhardius exhibet. At in ep. quoque XVIII v. 138: ‚molle latus lateri composuisse tuo' et in ep. XVI 190: flamma recens parva sparsa resedit aqua' eidem formae adtribuendi sunt. Neque aliter se res habet in ep. XVIII. 186: exitus hic fractis puppibus esse solet'. Accedit quod illorum versuum formae: baβ/α et abβ/α ne consentiunt quidem cum aliis eiusmodi figuris, quae adhibitae sunt in aliis carminibus.

Ut omnia quae commemoravi brevi in conspectu ponam, primum metricis et prosodiacis rationibus adductus sum, ut epistulas XVI. et XVIII. ab Ovidio abiudicarem. Accedunt causae ex arte grammatica, dicendi et versus componendi ratione petitae; tum sententiarum conexus, locutionum color, sermonis ratio indicant, Ovidium has epistulas non scripsisse. Quo modo me paullulum hac dissertatione attulisse puto ad solvendam quaestionem, num Ovidius omnes quas legimus epistulas heroidas composuerit. Atque mihi quidem persuasum est, Nasonem duas illas epistulas scribere non potuisse et puto, reliquas quoque epistulas inde ab ep. XIV. iisdem causis, quas protuli, ab Ovidio abiudicandas esse.

Vita.

Christianus Josephus Leyhausen natus sum Octob. 6. a. 1865 in vico Rhenaniae cui nomen est Reusrath patre Petro matre Elisabetha e gente Marseille, quae praepopero fato decessit. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum elementis imbutus per quattuor annos civicam scholam superiorem Opladensem frequentavi, tum inde a vere 1881 gymnasii Warburgensis discipulus fui. Vere a. 1885 maturitatis testimonio instructus studiis philologicis operam daturus primum universitatem Herbipolensem adii, cuius civis fui per unum annum, tum sex menses Monasterii versatus denique Bonnam me contuli, ubi auctumno a. 1890 examen pro facultate docendi absolvi. Vere 1891 seminarii regii paedagogici sodalis factus sum in gymnasio Friederici-Guilelmi Coloniensi Osc. Jaegero directore, inde a vere 1892 usque ad ver 1893 candidatus probandus fui in gymnasio Duesseldorpiensi, quod Aug. Uppenkampii directoris auspiciis floret. Ibi nunc quoque docendi artem exerceo.

Docuerunt me viri clarissimi Henner, Kirschkamp, Seuffert, von Urlichs: Herbipolenses; Hagemann, Langen, Niehues, Stahl, Wuellner: Monasterienses; Birlinger, Buecheler, Franck, Klein, Luebbert, Nissen, Usener, Wilmanns: Bonnenses.

Praeceptoribus omnibus gratias habeo maximas, imprimis vero Buechelero Usenero Wilmannsio quid debeam nunquam obliviscar.